



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

4
QVOD. FELIX. FAVSTVMQVE. SIT.
DISSERTATIO. INAVGVRALIS.
EXHIBENS.

**FIDEICOMMISSORVM
ET. CODICILLORVM.
ORIGINEM.**

*ARGVMENTVM. INCLINANTIS. ET. MVLTITVDINIS.
TAE. ROMANORVM. REIPVBLICAE.*

QVAM.
PRAESIDIO.
DOMINI

SIMONIS. PETRI. GASSERI.
POTENTISSIMO. REGI. BORVSSIAE. A. CONSILII.
INTIMIS. NEC. NON. BELLICIS. ET. DOMANIAL. IVRIVM.
RERVM. OECONOMICO. CAMERALIVM. ANTECESSORIS.
BINATVS. IN. DVCATV. MAGDEBVRGICO. ADSESSORIS.
ORDINIS. IVRECONSVLTORVM. DECANI.

*PRO. SVMMIS. IN. VTROQVE. IURIS.
HONORIBVS. CONSEQVENDIS.
PVBLICO. EXAMINI. SVBMITTIT.*

AVCTOR

FRIDERICVS. WIDEBVRGIVS.
HAMBVRGENSIS.

H. L. Q. C. D. MART. cId Id CCXXXI.

HALAE. SALICAE.
OPERIS. GRVNERTIANIS.

6.



VIRIS.

*PERILLVSTRIBVS. MAGNIFICIS. AMP
SIMIS. CONSVLTISSIMISQVE.*

INCLVTAE. REIPVBLICAE. HAMBVRGENS

CONSVLIBVS.

DN. GARLIEB. SILLEMIO.

HAMBVRGENSIS. REIPVBLICAE. CONSVL
PRIMARIO. ET. GENERALISSIMO.

DN. IOANNI. ANDERSONIO.

DN. RVTGERO. RVLANDO.

DN. DANIELI. STOCKFLET

MAGNIS. LITTERARVM. FAVTORIB

DISSERTATIONEM. HANC. INAVGVRALEM.

EX. VOTO.

D. D. D.

DEVOTVS. EORVM. NOMINIBVS.

AVCTOR.



I quid unquam, MAGNIFICI CONSULES, uehementer optaui, illud fuit profecto, ut mea erga patriam pietas, & quae cum ea proxime coniuncta est, VESTRORVM ILLVSTRIVM NOMINVM ueneratio, patefieret omnibus, VOBISQVE praesertim, PATRES PATRIAE, quodam manifestiori argumento innotesceret. Cuius rei cum nulla adhuc mihi extitisset occasio, dum cetera circumspexi diligentius, tum nihil inueni, praeter hanc dissertationem, VOBIS, VIRI PERILLVSTRES, inscribendam, traditoque more ex uoto consecrandam atque dedicandam. Omnem, quam abfuisse sensi a meo conatu, deliberationem, quae alios plerumque reddit ancipites, dubiamque optionem facit, VESTRA mihi ademit humanitas, utpote aequissima omnibus iis, qui in litteris operam collocant: siquidem praeterea de inscribendi uenia, quam tot exteri impune sollicitant, ciuem omnino non desperare debere putaui. Quemadmodum uero praefulgente huic scriptioni VESTRORVM NOMINVM splendore, & declarato erga patriam animo,

abun-

abunde me consolor: ita illud mihi sumo ne-
quicquam, ut, quod aliis usu uenire solet, VE-
STRAM domi forisque spectatam uirtutem, VE-
STRAQVE in florentissimam rempublicam me-
rita, celebrare quodammodo ac collaudare au-
sim. Quae VESTRA enim in conseruanda iu-
stitia, tuenda pace, defendenda libertate, fir-
manda concordia, obeundis legationibus, re-
busque aliis gloria exstitit iampridem, cum te-
stis sit ipsa ciuitas, & tota Germania, & cultior
orbis uniuersus, commemoratione omnino non
indiget. Quanquam ut earum laudum fructum
aliquem ipsa capiat posteritas, VOBIS pariter
ac posteritati optandum esse uideatur. Ea ta-
men omnia, uti & epistolae fines, & meam ce-
lebrandi facultatem, longissime excedunt: ita
commentarios atque annales, & maiorem inge-
nii ubertatem, quam quae mihi contigit, iure
quodam suo postulant. Attigi in ea, quam VO-
BIS nuncupo, dissertatione, Romanae reipubli-
cae uicissitudines, legumque ac dominationis
conuersiones, quas celeberrima illa, quae un-
quam fuit, & princeps terrarum orbis respubli-
ca, temporum hominumque uitio effugere non
potuit. Talia enim fata tum demum experta
fuit, cum nec uicia sua nec remedia pati posset,
ciuiumque ac rectorum intemperantiae subiace-

ret, cui penitus deinceps succumbere coepit. Mihi sane si quid pro patria relictum officii est, huiusmodi uicissitudines inclutae, quam regitis, reipublicae causa non tam deprecor, quam RECTORVM suorum pietate, sapientia, moderatione, aliisque praeclaris uirtutibus, tanquam diuinitus comparato praesidio, aduersus ipsam factorum inconstantiam aeternum duraturam polliceor, omnique, quae in me est, contentione uoueo: Id est enim, quod dicere laudabiliter, & in huius opusculi dedicatione, quam maxime ad VOS & ad PATRIAM pertinens, uouere potui. Seruet VOS DEVS ac protegat, non sine prouidentia HAMBVRGO datos RECTORES, consiliaque fortunet, & VESTRAE gloriae diu superstites esse sinat, eamque antiquae urbi continuet felicitatem, ut deinceps habeat CONSVLES VESTRORVM exemplorum, VOBISQVE similes, qui eam uirtute illustrent, & dignitate sustineant, & eius res cum auctoritate tueantur. Valete. Scripsi in Regia Fridericiana D. xx. Februar, clō lō ccc xxxi.



INDEX. ARGUMENTORVM.
DISSERTATIONIS. TOTIVS.

Prooemium. §. 1. *Communes regnorum & rerumpublicarum vicissitudines.* §. 2. *Eius rei exemplum illustre respublica Romana* §. 3. *Facies illius sub regum imperio.* §. 4. *Regum exilium & initia reipublicae.* §. 5. *Incrementa libertatis, & ex iis legum forma.* §. 6. *Amplissimum & prolixum Ius Quiritium.* §. 7. *Potiora Quiritium: iura connubiorum, commerciorum atque testamentorum.* §. 8. *Quid in compilatione Iustiniana desiderandum, circa legum & vicissitudinum Romanarum aestimationem.* §. 9. 10. *Publici priuatique iuris necessitudo apud Romanos, de eorumque solemnibus.* §. 11. *Mutatio Iuris ex Monarchiae initiis.* §. 12. *Caesaris imperium & D. Augusti in regnando sapientia.* §. 13. *Quam sapienter sibi conciliauerit magistratus & ICros.* §. 14. *Eius rei ratio communis cum fideicommissis & codicillis.* §. 15. *De origine fideicommissorum Mynsingeri opinio.* §. 16. *Frequentiora illorum exempla mediis postremisque temporibus reipublicae.* §. 17. *Vinculum fideicommissorum & codicillorum, & quotuplex eorum usus.* §. 18. *Fidei-*

Fideicommissorum duplex occasio. §. 19. 20. *Cur impatie*
Monarchia iuris Quiritarii. §. 21. *Causa ac ratio firmand*
rum a D. Augusto fideicommissorum. §. 22. 23. 24. 25. 26. *Qua*
nam in mancipationibus ciuium singularia. §. 27. *Quaena*
res mancipi, & de seruitutibus praediorum urbanorum conti
V. C. Corn. van Bynkershoek. §. 28. *Animantium uaria adpell*
tio apud ueteres, & explicata Charondae descriptio rerum ma
cipi. §. 29. 30. *Alia de rebus mancipi, quae singularia Quir*
tium. §. 31. *De hereditate Romana.* §. 32. 33. *Natura test*
menti priuati apud Quirites. §. 34. *Quid testium rogatio,*
de eorum in testamentis auctoritate. §. 35. *Quid in praetor*
testamento singulare. §. 36. *B. Thomasi coniectura de signi*
culis testium, adnexu testamentorum per aes & libram, su
modestum examen uocata. §. 37. *Scriptores de mancipation*
ritu. §. 38. *Traditorum haectenus anacephalaeosis.* §. 39. 40.
Quam prudenter D. Augustus illa Quiritium iura euertere con
tus fuerit. §. 41. *Vicissitudines testamentarii iuris.* §. 42.
fideicommissis rogationis exilium. §. 43. & *mancipationis.* §. 44.
Fideicommissorum simplicitas. §. 45. *Cur adextraordinariar*
quam dicimus, cognitionem magistratuum relata. §. 46. *Qua*
nam antiqui iuris regulae per fideicommissa sublatae, sigillati
de successione testati & intestati. §. 47. *De diei, temporis, co*
ditionis adiectione. §. 48. *De personarum praesentia.* §. 49.
De testium necessitate. §. 50. *De uerbis directis atque solenn*
ibus. §. 51. *De legatis a legatario non relinquendis.* §. 52. *et*
que ante heredis institutionem. §. 53. *De uerbis ad solos her*
des dirigendis. §. 54. *De apertura solenni tabularum test*
menti. §. 45. *De pluribus testamentis.* §. 56. *De testimon*
masculorum. §. 57. *De qualitate personarum quibus relinque*
dae hereditates. §. 58. *Fideicommissorum natura subinde an*
prior solutiorque facta. §. 59. *Epilogus.*

DISSERTATIO. INAUGVRALIS.
EXHIBENS.
FIDEICOMMISSORVM.
ET. CODICILLORVM.
ORIGINEM.

ARGVMENTVM. INCLINANTIS. ET. MVTATAE.
ROMANORVM. REIPVBLICAE.

PROOEMIUM.



Crispi, mi LECTOR, de fideicommissorum & codicillorum origine. Noli tamen illam sollicitare inscriptionem uulgari, nobisque inimica, interpretatione. Non enim, quam dixi, originem ad prima refero fideicommissorum exempla temporaque ea, quibus primum audiri haec adpellatio hereditatesque ex fideicommissis restitui coeperunt. Serpsit ista olim Romae consuetudo, ad fallendas leges, libera adhuc republica, & diu ante fastigium imperii, Romano orbi exortum deinceps, sicut ipse declaravi quodammodo in praesenti scriptione. Est uero is uerborum sensus, ea significatio, si Grammaticos audias. Aliter philosophantur Icti. Quae enim potior instituti alicuius origo esse dicatur, quam ea, cum ualere in foro, adscribi legibus, promulgari publice, ui atque efficacia iuris communiri coepit, licet antea in usu fuerit passim, sed absque idonea iuris legisque auctoritate? Illud uero ipsum est, quod in fideicommissis contigisse uidemus. Diu enim eorum usus inter probitatis & perfidiae exem-

pla fluctuauerat, antequam & exemplo & seueritate e
 stabiliret D. AVGVSTVS, & a fidei probitatisque officii
 ad tribunalia & magistratus cognitionem primus uoca
 ret. Neque uero tanti apud eum fuisse uidetur sola fidei
 pietasque, ut eius causa conatu singulari inter Romano
 genus illud sanciuerit ultimarum uoluntatum. Tulerunt
 rationes imperii & collabascntis reipublicae, ut per fidei
 commissorum usum uetera Quiritium iura, Monarchia
 aduersa omnino inuisaque, paullatim temperare, labefa
 ctare, atque conuellere conaretur sapientissimus Princeps
 Cui illustrandae rei scripta haec dissertatio. Vti uia
 hic elegisse uidear singularem, non qua itum est haec
 nus a scriptoribus huius argumenti, praecipue practico
 Quorum meditationum occasionem acceptam fero sig
 latim III. GASSERO, meo nunc Praefidi aestumatissim
 qui in elaboratissimis *ad codicem Iustinianum praelectionib*
lib. III. tit. 17. lib. VI. tit. 36. singularia Augusti in firmam
 dis fideicommissis consilia primus attigit, & succinct
 pro illius commentarii ratione, perstrinxit. Perstreperunt
 quidem iudicia fideicommissariis litibus, & prolixa
 ius exstant ICTORUM opera, PEREGRINI, PETRAE, MARZ
 RII, RODVLPHINI, ROMVLAEI, MATTHEACH, aliorum,
 recentiores KNIPSCHILDII, COCCEII, WILDVOGELII & E
 CELL. DN. & LVDEWIG, Fridericianae nostrae CANCELLAR
 eruditas lucubrationes praeteream, quibus tamen nihil
 propemodum cum nostra scriptione commune est. Ab
 uero contentionibus animum parumper auertimus,
 ueriores fideicommissorum originem, quam inuen
 runt demum inclinante atque mutata Romanorum
 publica, tota mente repetere conati sumus. Quibus
 intellectis perceptisque, nihil te moror, mi LECTOR
 ipsam quin inspicias legasque, si lubet, dissertationem

§. I.

SVnt quaedam regnorum, sicut aliarum rerum, vicissitudines, & conuersiones rerumpublicarum, quibus, uel imperantium culpa, uel ciuium uitio, subiguntur passim, & uarie mutantur, aliae quidem citius, longiori iterum aliae temporum diuturnitate. Cuius rei causas altius repetere, nunc quidem nec propositum nobis, nec ad id agendum suscipiendumque otii satis fuit: tum propterea maxime, quod ea res ab aliis exposita iam pridem, & uel descripta uniuersim, uel ipsis regnorum & rerumpublicarum, quae nobiliores illustrioresque unquam fuerunt, exemplis, & uiuis ueluti documentis, declarata est. Quod iis praesertim usu uenire solet, qui, dum incorrupta serie rerum gestarum monumenta tradunt, partae primum & auctae indies potentiae originem repetunt, commemorantque deinceps, quomodo ea degenerauerit, ac paullatim inclinauerit labente disciplina, denique interitum aut pristinae formae conuersiones penitus scribendo persequuntur.

§. II.

Quam illustre eius rei exemplum documentumque sit Romana respublica, tum illius aevi scriptores abunde testantur, tum sequentium nostrorumque temporum ingenia subinde litteris mandarunt & sane diligenter illustrarunt. Romanam enim gentem si eam esse dixerim, in quam innumera gloriae, celebritatis ac potentiae argumenta diuturna temporum memoria, & quaedam ueluti fortunae liberalitas, contulit, sed etiam in quam felicitatis inconstantia, & immigrantium malorum uis continuo se exercuit, non magis ab obtreptione quam ueritate alienus esse uideor. Praeclare de his princeps sui temporis scriptorum LIVIUS: cuius lectione mirifice semper

per me recreari sentio, siquidem nullus contigit scripto Romanis rebus, qui eam diuturnitatem, qua a principi duravit princeps terrarum orbis respublica, copiosius expleuerit, omnesque fortunae uices, quibus saepenu-mero exagitata fuit, sapientius feliciusque aequauerit.

§. III.

ROMVLVS, aeternae conditor urbis, in constituendo sibi imperio mite principium coeuntisque speciem societatis anteposuisse uidetur regni condendi inuidiae. Quamuis enim ob fundatam urbem, regiique necessitudinem sanguinis, iure suo imperitare potuisset accedentibus Albanorum Latinorumque multitudini, neque idcirco inculpandus esse uideatur, dominationem concupiscens & solutius imperium, alienum a populari temperatione: firmatae tamen Romanae rei opportuniorem ratus est firmam multitudinem reipublicae, populari quam regio imperio uiciniorum. Sic prudenter ille, in ipsis noui regni initiis, dissimulauit ΑΤΤΟΚΡΑΤΕΙΑΝ, ciuiumque iura quam amplissima effecit, ordinibusque eos distinxit, imo in ferendarum legum adsciuit societatem, itaque auxit mirifice apud finitimos desiderium nouae reipublicae, in qua maxima dignitas ciuium & cum regibus propemodum communis auctoritas. Vberiores hic alii de legibus illius aevi, rogato demum populo curiisque latis promulgatisque, quos & nominare, & sequi commemorando nihil attinet. Id solum addo, uideri Numam propterea uana specie congressus diuini illuisse rudi ac imperitae multitudini, ut posset ipse de rebus sacris, ritibusque ac caeremoniis iura legesque facere, ex quibus Pontificium ius natum, propagatumque ad posteros fuit. Deinceps quidem PHILO *lib. II. uitae Moysis, p. 506.* de illis temporibus: βασιλεύς νόμος ἔμψυχος νόμος δὲ ὁ βασιλεύς δίκαιος,

uti

uti legum proprietatem solis tribuere regibus uideatur: ueruntamen de arbitriis regum, quibus in illa temporum simplicitate controuersias tollebant, intelligendum esse Philonem, alii monuerunt. Legi meretur elegans scriptor, GEORG. SCHVBARTVS *de fatis Iurispr. Romanae exerc. I. sub init.*

§. IV.

Non diu perdurauit ea imperii moderatio, quam ad largiorem spem quam euentum inchoauerat ROMVLVS, neque religioni fuit postremis regibus ipsius exemplo conditoris in aequa temperatione Romanam rem, indies florescentem magis, continere. Notatum ideo in Romanorum fastis perpetuo dedecore TARQVINIORVM nomen, quod regnandi libidine atque intemperantia effecit, ut ad regium nomen maxima inuidia perueniret, sicque odio TARQVINIORVM omnes illico reges fastidiri coeperint. *Primus enim TARQVINIVS teste LIVIO lib. I. c. 49. traditum a prioribus morem soluit de omnibus consulendi Senatum: domesticis consiliis rempublicam administravit: bellum, pacem, foedera, societates per se ipse cum quibus uoluit iniussu populi ac senatus fecit diremitque. Tyrannidis itaque impatiens S. P. Q. R. perpetuo regibus indicto exilio, populare aeuum exorsus est, sumsitque tunc initia uerior respublica, procul a rectorum scelere atque ambitione, legumque deinceps, quam hominum imperiis potentior euasit.*

§. V.

Quantamcunque enim Romani auctor nominis ciuibus suis, ut dixi, indulserat dignitatem auctoritatemque, ea ueluti postliminio in liberam rempublicam iam magis reducenda uidebatur. Augeri itaque, pro ea status conuersione, quicquid dignitatem adiacere poterat

incolis liberae urbis: iura popularia efflorescere quot die: & maxima ciuium auctoritas esse coepit contra eos omnes, qui non tam extra urbis pomoeria, quam extra Latii atque Italiae fines, intra quos gentium constitit imperium, positi ac quasi reiecti essent. In quem censum referrebantur ii, qui communi peregrinorum hostiumque appellatione a Quiritibus aestimari solebant. Sic cum prima apud omnes nouae libertatis cura esset, & unus iam foret Romanae rei dominator populus, pro antiqua suauitate, ad uniuersi orbis imperium amplam spem porrigens: faciem inde quoque consecuta est legislatio, & efformari coeperunt iura legesque, in ea status diuersitate latae, rogataeque deinceps, ad Quiritum libertatem neque ulla res, quam quae eo pertineret, sanctius culta ac religiose magis habita, fuit. Imperii enim atque reipublicae mutatio legum ex se diuersitatem gignit, aliaque imperia aliis reguntur legibus, prout uaria in iis temporum & dominationis uicissitudo est.

§. VI

Repetendum ex his potissimum temporibus amplissimum illud & prolixum ius Quiritium in quo conseruando, illibatoque custodiendo, & summa opetueno, ta solliciti fuerunt Romani, nec quempiam facile, nisi qui ex nepotibus esset Romuli, eius participem esse uoluerunt. Quid enim CIVIS ROMANVS, & aeternae patriae filius a Martis filio fundatae urbis? nisi homo dignitate maxima eminens, natiuo pariter quam adscititio honore conspicuus, heros in bello ac pace, domus suae ac familiae princeps, publicarum priuatarumque rerum socius & arbiter, communis imperii particeps, & nobilior hominibus ceteris, quos orbis habet uniuersus. Ex his quasi priuata maiestate illa & acquirendi & possidendi auctoritas

toritas: illa miscendi generis religio: illa inuiolabilis sacrorum custodia: ille domesticus quasi principatus: illa comitiorum suffragiorumque societas: illa militiae gloria aliaque innumera singularia ac propria Quiritium, uelut ex communi fonte, deinceps manare coeperunt.

§. VII.

Iura illa, quae **QVIRITIVM** ac **CIVITATIS** appellare solemus, a multis claris scriptoribus tradita sunt passim. Latius diffunduntur iura **CONNVBIORVM**, **COMMERCIORVM** atque **TESTAMENTORVM**, in quibus priuatae rei auctoritas stabilita sancitaque potissimum, & quae, salua reipublicae libertate, a peregrinis uiolari, piaculum fuit. Ita enim uera demum rerum dominia possessionesque penes solos ciues erant, incorruptusque a peregrini admittance sanguinis permanfit populus, quid? quod bona facultatesque Quiritium nec alii casus, nec ipsa mors possessoris, aeterno illo nexu soluere quodammodo potuit, siquidem continua successione a ciue in ciuem transirent, ab earumque spe ac inuasiōe peregrini perpetuo repellerentur. Hi enim uilioris erant sortis, a natura ad obsequium cultumque Romani nominis facti, arcendi proinde a sublimiori Romanorum ciuium confortio, eorumque patrimonii ac necessitudinibus, quibus solis destinatum, uti antea ex illorum sensu scripsi, orbis terrae imperium.

§. VIII.

Multa inde in iure nostro, quod Imperatoriae compilationi debemus, libertatis effigies, & ueteris formae reipublicae, licet mutata tum iam pridem Romana re e populari in *παρβασιλικήν*, cuius naturam male exegerunt Pandectarum collectores ad normam diu amissae libertatis. Liceat enim desiderare illud in satis amplo digesto-

rum

rum apparatu, quod maiori cum circumspeditione seiv
ctisque utrinque temporibus, facile effugere potuisse
cum ceteri legum compilatores, tum operis huius pri
ceps TRIBONIANVS. Postquam enim ciuilibus discord
fessa respublica sub unius imperio esse coepit, ac dei
ceps earum legum, quas fouit libertas, & nutriendo
aliquam maturitatem perduxit, quaedam sensim conue
sio facta est, desierunt quoque in usu esse iura popular
a facie exorti imperii discrepantia nimium, sicuti qua
libet uicissitudo suo peculiari iure suisque legibus regitu
Id est uero, quod sine discrimine ueterum ICtorum
antiquarum legum lacinias in corpus aliquod coniec
runt, ac prisca iuris reliquias Caesarum temporibus pa
sim inusitatas intempestiue retinuerunt, quas exscript
maiori opera quam cura innumeris prudentum uolum
nibus simul retineri necesse fuit.

§. IX.

Absit tamen ab initio ordiundae huius scription
consuetudo de Triboniano querela, uel propterea minu
grata lectoribus futura, quod ad alia iam festinandum
sit, quae meo instituto propiora esse uideantur. Illu
sane & cum iis, quae dixi, & cum sequenti commemora
tione magis coniunctum est, quod in statu praeualent
libertatis, quo omnia ad popularem potentiam refere
bantur, publici priuatique iuris quoddam quasi existit
uinculum, ac perpetua necessitudo, quandoquidem i
priuatorum quantumuis negotiorum ritibus formisque
praecipua uis ac potestas pendeat ab auctore, populo
cuius iniussu nihil, quod alicuius momenti ponderis
esset, domi forisque agi aut suscipi potuit. Hoc eni
uinculo contineri coepit tyrannis uacuefacta republ
ca, quo ciuium mederetur libertati, & ii, intercedend
rebu

rebus omnibus, publicorum priuatorumque negotiorum arbitri essent, sicque alienae dominationis formidine perpetuo liberarentur. Inde uero, cum aliarum rerum, tum rogationum praecipue, aestimanda natura est, non solum earum, quas in comitiis, auctoritate reipublicae coactis, publice factas esse nouimus, sed harum quoque, quas in priuatorum aedibus, coram compendio comitiarum, quinque ciuibus Romanis, qui pro uniuerso populo rebus agendis suam auctoritatem interponebant, fieri consueuisse uerosimile est. Sita enim est in eare interior ratio solemnium atque negotiorum omnium intra priuatos etiam parietes gestorum comitali solemnitate, quae eadem testamentorum mancipationumque ritibus, de quibus sermo mihi deinceps, praeclaram lucem adferre potest. Ceterum fugienda est eorum sententia, qui in omni caeremoniarum rituumque multitudine, quibus abundarunt Romani, figuras solum & umbras quaerunt, nihil iis rationis inesse existimant. Quamuis enim de ea re fidem habeamus POMPONIO *Tit. π. de O. I.* quod auctoritatis suae tuendae augendaeque gratia consuli uoluerint de rebus omnibus Pontifices atque patricii, ac propterea legis actionum formularumque, quibus experiri oportuit in iudiciis, repertores fuerint: nolim tamen ideo omnes legitimos actus, omnia solemnia, ad inania & fabulas referri, quod in iis praecipua Iuris QVIRITIVM imago sit, illiusque potestatis, quae post regum exilium acriter defensa & continuo adserta perdurauit penes populum. Quod si uero dominationis occultasset suspicionem formularia illa patriciorum sapientia, fastique Pontificum, qui tam patienter adsuetae iis omnibus putemus turbam QVIRITIVM, crebro insurgentem aduersus patres, suorumque iurium uindictam consilio, ui-

secessione, sibi que constituto magistratu? *Obtinendae, uero, & augendae potentiae suae causa peruulgari artem suam noluerunt, qui praefuerunt huic scientiae,* ait CICERO, *de oratore lib. I. c. 61.* at uulgari duntaxat noluerunt artem suam quo consulerentur frequentius, non artem ipsam excogitarunt opprimendae plebi. Praeterea illa tum Romanae rei temperatio maiorem curam postulauit religionemque cum publicorum tum priuatorum negotiorum ut sic indies in maiorem molem excrescens respublica efficaciori quodam nexu contineretur, sicut plerumque in libertate maior earum rerum sua natura solet esse obseruatio. Vid. praeclarum huius loci interpretem I. C. HEINECCIUM V. C. *in orat. inaug. de iurispr. ueterum Romanorum formularia.*

§. X.

Fateor identidem potuisse in iudiciis esse planiorem & sinceram magis iustitiae effigiem, separatam a rituum formularumque symbolis: sed erat ea, ut dixi, Romanae reipublicae conditio, ut sua sponte sequerentur ciues illas actionum subtilitates, actuum uero legitimorum usum sancte seruarent, quod ii specimina essent a ueluti indicia amplissimi iuris ciuium urbis aeternae, e maxima illorum & ubique spectata dignitate proficiscentis. Enimvero suae auctoritatis, quam fuerant pacibelloque adepti, parca iterum & ueluti recens nata reipublica, socium uolebant neminem, omnia, qualiacumque essent, inter se solenniterque gerebant, sibi ipsi legedicebant rerum omnium, & mutua ope uniuersae genti gloriam praeclare sollicitaque sustinebant.

§. XI.

Denique, cum principale fastigium, post extirpata libertatem, Romano orbi exoriretur, & potestas
uniu

unius omnia gubernarentur, fieri certe oportuit, ut illa Romanorum civium fere immensa dignitas, ac infinita propemodum iura, placidae praemia libertatis, collapscente republica paullatim nutare inciperent, Caesaribusque inuisa essent, sicuti vicissim libertati exosa dominatio esse solet. Neque uero, cum e seditionum disensionumque civilium tempestatibus, publicisque turbis, quibus omnia completa erant, tum primum eripienda esset Romana res, licebat nouo principi asperiora remedia anteferre lenioribus, aut pro libertate Quirites tradere in seruitutem, quod nondum subsidentibus animorum fluctibus, & in publicis domesticisque periculis, tempori inprimis parendum esset. Quamobrem iurium etiam priuatorum, quorum in libertate ortum, incrementa, prouectamque magnitudinem spectauimus, non tanta illico conuersio facta est, ut aboleri protinus, atque cum auctoritate exstingui, coeperint. Quinimo lentius processerunt Imperatorum consilia, pro stabiliendo primum firmandoque imperio, deinceps pro euerendis paullatim iuribus iis, quae maxime inimica essent nouo statui, & quae recens exorta monarchia pati non posse uideretur.

§. XII.

Primus quidem fuit CAESAR ad quem uniuersum diuinarum humanarumque rerum arbitrium delatum fuit, isque Pontifex maximus, & Consul dictatorque perpetuus, & praefectus morum, & imperator, & patriae pater appellatus est. Quum tamen tumultuosis illis temporibus imperio parum moderate uteretur, & coniuratorum in urbe colluies esset, nondum fatis a motibus suis requiescenti reipublicae immatura nece ereptus est. Melioribus auspiciis Imperatoris fastigium conscendit

diuturni princeps imperii, AVGVSTVS, idque summa illi
 animi mansuetudine, & regnandi facilitate, & consilio
 sapientia, plus ferro armisque ualitura, facile obtinuit.
 Vidit enim sapientissimus princeps in principio parti im-
 perii rerum gerendarum inuidiam declinandam maximam
 esse, quare mitem atque ciuilem se gessit, Senatuique a
 populo traditum a maioribus honorem seruare uisus est,
 qua re mirifice sibi conciliauit animos, imperiumque sibi
 ultro delatum accepit potius, quam inuasit. Ita enim
 apud DIONEM legimus *lib. LIII. p. 576.* μετὰ τὸ τοιοῦτον μοναρχεῖσθαι
 τε, δέουσιν, καὶ πάντα τὰ εἰς τὸ τοιοῦτον φέροντα ἐπιλέγοντες, μέχε-
 ῖς κατηνάγκασαν δῆθεν αὐτὸν αὐταρχῆσαι. Neque uero sui iu-
 ris desertorem AVGVSTVM ego dixerim: cum uicissim
 adfirmare ausim, uix signari in ueteribus fastis cuiusdam
 principis nomen, qui regnandi arte ac prudentia ex-
 celluerit magis, & sub cuius imperio facilius parere coe-
 perit respublica, diuturnae adsueta libertati, quique
 dominationem secretis & clandestinis artibus feliciter
 consecutus fuerit, atque sapientiori conatu stabiliuerit.

§. XIII.

Illud enim, quod inuidiae causa palam depreca-
 tus est, legum omnisque iuris arbitrium, clam & qua-
 dam circumitione impune occupauit, omniaque man-
 sucte moderateque fecit, deuictamque libertatem lenio-
 ribus remediis ex noui imperii usu temperauit. Sena-
 tum & magistratus non exiit suis honoribus exilique
 multauit, sed beneficiis sibi obstrinxit, & clementia de-
 liniuit, quod efficacissimum fuit praesidium duraturae
 aduersus populum potestatis. Tum labefactandis anti-
 quis legibus prudentum & Iureconsultorum ope ac stu-
 diis, non ipse sua omnino auctoritate, usus est. Hi enim,
 cum in magna antiquitus celebritate uersarentur, atque
 prout

prout quisque insigniori iuris esset scientia, leges quarentibus interpretarentur, iam singulari D. AVGVSTI beneficio legislatoria fere auctoritate de iure pronuntiabant, a quorum edictis in iudicando discedere iudicibus permiffum nequicquam. Nec quibusuis tamen ea facultas data fuit, sed iis duntaxat, qui ornati honoribus atque beneficiis impensius colerent nouum principem, & quicquid erat prisca iuris, ad eius arbitrium flectere nouis interpretationibus, penitusque euertere, conarentur. Laudatur omnibus eo nomine CAPITO, Sabianorum familiae auctor, qui eam apud principem accipiendis, quam LABEO recusandis honoribus apud populum inire gratiam uisus est. Scite detexit AVGVSTI in ea re consilia, quem supra laudauimus, V. C. I. G. HEINECCIUS in politissimo *antiquitatum syntagmate lib. I. tit. 2. §. 39. not. X.*

§. XIV.

Ab eodem conatu profecta FIDEICOMMISSA atque CODICILLI, quae argumenta esse scripsi inclinantis & mutatae Romanorum reipublicae. Quum ea enim Romani testamenti natura esset, quae comitiorum & ferendorum a populo suffragiorum, & auctoritatis QVIRITIVM propriam insitamque rationem haberet: indignum profecto uisum est CAESARVM temporibus, tantum concedere iuris obsequio deditis deuotisque hominibus, quantum iis tribuerat libertas, cum publicarum priuatarumque rerum arbitrium sibi continuo uindicarent, quod in otio pariter & pace, quam in bello armisque cum auctoritate exercuerunt. Finem ipsis comitiis allatum demum fuisse a TIBERIO TACITVS commemorat *lib. I. annal.* Nulla ex eo tempore Romanorum citium multitudo: nullae suffragiorum uoces: nullae legum ro-

gationes: nulla pro republica consilia: nulla actuum solemnitas: in campo Martio uisa exauditaque fuerunt, se uaga, destituta, deserta omnia, ut uel externa reipublicae species imperii mutationem conqueri uideretur. Seruauit quidem ea D. AVGVSTVS sicque simulachrum quoddam reliquit amissae libertatis, omnem tamen uirum potestatemque gerendarum rerum solus retinuit: testatur enim DIONE CASSIO *lib. LIII. p. 511.* ὁ τε δῆμος ἐς τὰς ἀρχαίας χαιρεσίας δὲ τὸ πλῆθος αὐτὸ συνέλεγετο. ἔμην τοι δὲ ἐπράττετο τὰ μὴ δὲ ἐκείνω ἤρεσκε, *comitia uero populi etsi nihilominus habebantur, tamen nihil praeter uoluntatem Augusti agebatur.* Quod enim erat animi magnitudine atque sapientia, umbra quaedam pristinae formae tolerabile reddidit imperium, animosque hac moderatione cepit mirifice, neque segnitiam tamen popularia iura uicissim imminuit. Quamobrem cum testamentorum etiam singularia, quae aliqua cum religione a multis seculis tenuerant Romani, palam arrogari inuidiosum esset, clandestina potius remedia circumspexit, quibus antiqui iuris uestigia feliciter securi uelut que paullatim delerentur. Quod uulgato fideicommissorum usu obtineri facile potuit. Haud inscite HIERONYMVS *ad Nepotian. de uita Cleric.* *Per fideicommissa, inquit, a nobis illudimus.* Et multa sane ex hoc genere ultimarum uoluntatum ueteri iuri metuenda mutatio fuit. Id ipsum uero est, quod iam designatis illustrioribus Romanae reipublicae uicissitudinibus, ulterius mihi persequendum sumam. Quae autem, quo melius instituat, tractatio, initio de prima fideicommissorum origine, deinceps de testamentorum mancipationumque solennibus, & quae in iis QVIRITIVM singularia recondita fuerint, denique de conuersione iuris antiqui per fideicommissorum & codicilli usum facta, quam potero, breuissime exponam.

eaque

eaque maxime attingam, quae profutura huic argumento, & utcunque lucem ei allatura esse uideantur.

§. XV.

FIDEICOMMISSORVM originem ad NUMAE tempora retulit MYNSINGERVS, Institutionum interpres, liberiori certe, quam ueriori, coniectura. Causa ei ad coniiendum haec fuit. Positum est in praecipua laude illius regis, quod diuinam humanamque fidem exemplo legibusque fanciuerit, Deorumque metum aequae subditorum animis iniiciendum duxerit, quam fidei inter homines colendae religionem. Aedem praeterea FIDEI, tanquam Deae dedicauit, cultumque illi diuinum ordinauit, teste DIONYSIO HALICARNASS. *lib. 2.* & PLVTARCHO *in Numa*. In isto igitur aeuo nata atque educata fideicommissa putat MYNSINGERVS, quod in iis maxima pars fidei, sicque illorum usum longe ultra Decemuirorum tempora fidenter extendit. Ipsum, addit IUSTINIANVM §. 1. *I. de fideicommiss. heredit.* PRIMIS TEMPORIBVS adsignare aliquam fideicommissorum notitiam, in quae eum incidat praeterea memoratum POMPILII regis ad omnem fidem sanctitatemque compositum exemplum, ita nihil coniecturae, de antiquissima fideicommissorum origine, amplius obesse putat. Parum tamen est, quod adfert ille pro sua sententia, & nihil praeter coniecturam. Silent omnes, quos habemus, scriptores, de tam commemorabili instituto: prima uero, quae designat, tempora IUSTINIANVS, Caesareis opponit temporibus, atque uniuerse de religione fideicommissorum loquitur, neque ostendere uoluit sigillatim, quae demum aetas hunc morem produxerit.

§. XVI.

§. XVI.

Difficile equidem esse arbitror primum proferre deicommissi exemplum, certa parumque fallaci auctore. Sane id indubitatum est, mediis postremisque re temporibus reipublicae per huiusmodi ambages penumero circumuentas fuisse leges, atque defunctorum hereditates haud raro peruenisse ad tales, quibus omnino, uel ex parte, legibus adempta erat e testamento capiendi potestas. Iis enim, quibus uel ob amissam, nondum acquisitam, ciuitatem, uel ob aliud uitium Quiritium hereditatibus erat interdictum, subueniebant testatores hac fraude, uti heredem instituerent eum, cuius quo testamenti esset factio, hunc uero rogarent uicissim, ut aditam possessamque hereditatem restitueret iis, quos bona iure peruenire non poterant, ut, quae heredes titulo non possent, restitutione saltem possent consequi. Fuit ea res plerumque specimen singularis erga propinquos necessariosque caritatis, qui cum spe omnino cedendi destituerentur interdum, forentque a suorum cultatibus saepissime exclusi, ob ciuilibus conditionibus utrimque discrimen: adstrinxerunt amicorum fidem, operam ferrent aduersus leges, simulato nomine causa heredis, redditis uero deinceps, quibus obtingere penuriam atque patrimonium suum uolebant, tum heredibus uniuersis, tum legatis, prout rogati erant, suamque fidem obligauerant. Exempla suppeditant CICERO *act. I. in Verrem § lib. 2. de finib. cap. 58.* VALERIUS MAXIMUS *lib. IV. cap. 2. § 7.* PLINIUS *minor in epistolis ad Caesarem Traianum passim,* QUINTILIANUS *declamat. CCCXXIV. facti lib. IX. cap. 2.* Add. THEOPHILUS *in paraph. Institut. ad de fideicommiss. heredit.*

§. XVII.

Quemadmodum uero heredum fidei committi solebant hereditates duplici potissimum ratione, uel in ipsis tabulis, adnexa heredis institutioni (*) precaria formula: VOLO. PETO. ROGO. VT. QVAM-PRIMUM. ADIERIS. HEREDITATEM. MEAM. EAM. RESTITVAS. CAIO. aliisque uerbis, quorum insignis apud BRISSONIVM *lib. VII. pag. 668.* collectio est, uel separatim in codicillis, ita inter fideicommissa & codicillos nihil re ipsa interest, cum utrimque rogetur heres, ut uel omnem hereditatem, uel aliquam eius partem legataque restituat. Imo codicillorum naturam quandoque imitata est nuda repromissio, ut coram rogati heredes fidem obligarent ad praestanda suae fideicommissa, non sine domestica cautione atque chirographo, Vid. IULIANVS in *L. 103. π. de legatis.* Quae cum ita sint, equidem fideicommissorum in codicillis frequentiorem fuisse usum existimo, quam eorum, quae in ipsis tabulis scribi consueuerunt. Clam enim plerumque amicorum fidem exorasse uidentur QVIRITES, quoties legibus uis inferenda esset per illas restituendarum hereditatum argutias, cuius generis cum ea sint fere, quae indicaui, exempla, certumque sit, quod impune mirandis hereditatum coërcitionibus reperta sint fideicommissa, arbitror etiam puram fuisse tum & ab omni adiectione uacua in tabulis heredis nominationem, in codicillis uero & singularibus epistolis expressum fuisse id, quod heredem facere cupiebant in fraudem legum. Neque tamen id semper ego factum uolo, cum uel exemplum P. SESTILII RVFI apud CICERONEM *de finib.*

D

qui

(*) §. 2 de fideicommiss. heredit. ibique Theophilus.

qui in testamento Q. FABII GALLI rogatus erat de soluenda filiae huius legatis, facile mihi obici queat: sed uerosimile esse dico plurima fideicommissa ueteres perscripsisse se in codicillis, aut saltem nuncupasse uerbis, ne aperta uiderentur aduersus leges insurgere, communisque iura reipublicae, quorum ipsi auctores erant, sua sponte conuellere. Ipse fideicommissa ex codicillis sanciuit AVGVSTVS teste Imperatore *pr. l. de codicillis*. Verum enim uero, nec propterea infrequentia omnino fuerunt fideicommissa, in ipsis perscribenda testamentis. In iis enim cum maxime uidentur fideicommississe, quoties talibus destinauerant hereditatem, quibus erat quidem permissum capere ex testamento, haud secus tamen quam participantibus adeundae hereditatis solemnibus. Irritae igitur erant heredum sub conditione, ex certo die aut euentu post longum temporis tractum, institutiones. Poterant tamen satisfieri defunctorum uoluntatibus, qui patrimonium remque suam ex interuallo demum, siue sub certa lege aut casu possideri uolebant, fideicommissorum auxilio, ubi perseuerabat heres is, quem fiduciarium dicimus, consistebant hereditatum solemnibus, alique bonorum interim, prout uoluerat testator, participes fieri poterant. Huiusmodi fideicommissorum honestatem in tabulis propositam fuisse saepius, quam clandestinitatem ceterorum, cum nulla legibus fieret iniuria, omniaque penderent a probitate fiduciarii heredis, uerosimile esse se dixi. Non inepte uero ea fideicommissa, clandestinis precibus innixa, quod in fraudem legum rogaretur heredes, dicuntur *tacita* in L. 10. *pr. l. 11. l. 18. l. 23. π. de l. quae ut indignis auferuntur* &c. atque heres *tacitam fidem a commodare* dicitur. *Add. l. unic. C. de his qui se deferunt.*

§. XIIX.

Fuit identidem duplex fere fideicommissorum occasio. Altera, cum procul a patria absentes Romani ciues cum heredibus suis siue legitimis, siue testamento scriptis, agerent interdum de reddendis hereditatibus legatisue per epistolam scriptionemque, sine ritu, sine teste atque rogatione, quod nullum legitimi actus exercitium esset, ob penuriam ciuium, in peregrinis ac hostilibus terris. Altera, siquidem consulere studerent iis, qui quaeue per iura **QVIRITIVM** uel non omnino heredes scribi poterant, quales erant mulieres ob rigorem legis **VOCONIAE**, quam post **BALDVINVM** commentario praeclare illustravit litteratissimus **PERIZONIVS**, uel quibus ciuium hereditatibus penitus erat carendum. Huic forti potissimum subiecti erant peregrini, a quorum consortiis, commerciis, necessitudinibus, semper illibatam inuiolatamque seruare se studuit urbs aeterna quippe quae gentium dominam, quam sociam, se uideri maluit. His proxime accedunt, qui amissa ciuitate in peregrinorum conditionem proiecti erant, deportati, proscripti, dedititii, Latini Iuniani, aliique quibus usus Iuris Quiritium ademptus fuit. Deinceps erant, qui nomine ciues, re tamen a iure ciuium in quibusdam negotiis arcebantur, sicuti orbis, innuptis, quiue sine uxore; & quae sine marito essent, poena dicta non capiendae hereditatis. Durum id quidem atque asperum ius non incusabant Romani, cum honori ac gloriae inseruiret Romani nominis, sed cum interdum pietas humanitasque uinceret legum obseruationem, circumeundo eas impertiti sunt propinquis cognatisque, quorum spe per leges fraudabantur. Pendebant tamen hae uoluntates a fide magis heredum; quam ulla obsequii necessitate.

tate. Ceterum quis dubitet frequentiore multoque acceptum existisse usum fideicommissorum SVLLANIS temporibus, propter illam nobilem atque saevam L. CORNELII SVLLAE proscriptionem? Quum enim exitio ac strage civium omnia complevisset, ad eam crudelitatem id facinus addidit, ut non consulto Senatu, quos uellet, proscriberet, eorumque bona publicaret. PLUTARCHVS IN SVLLA pag. 472. περιετρεφοντο δὲ καὶ ἐν πάσῃ μόνον ἀλλὰ καὶ ἐν πάσῃ πόλει τῆς ἰταλίας, proscribebantur non Romano modo sed & per omnes Italiae urbes. Facti itaque e locupletibus inopes, pauperes, miseri, creptis facultatibus bonisque ui extortis, ad quae auaras manus porrigebat Sulla, nece atque exilio civium amplissimis partis occupatisque possessionibus. ADIICIT PROINDE UELUT IRRIDENDUM CHAERONENSIS: τὸν δὲ μὲν ἀνήρηνεν οἰκία μεγάλη, τὸν δὲ κῆπιον ἄλλον ὕδατα θερμά, hunc occiderunt amplae aedes, illum horum alium thermiae. Idem de Sulla CICERO lib. II. de officiis: Etenim ausus dicere, hasta posita, cum bona in foro uenderet et bonorum civium & locupletum & certe civium, praedam suam se uendere. Securus est qui in causa impia, victoria etiam foedioris non singulorum civium bona publicaret, sed uniuersas praedae uincias regionesque uno calamitatis iure comprehenderet. Quamuis in illa calamitate fideicommissis locus, ut erigere miseris, opitulari afflictis, mederi egentibus, parentibus, liberis, cognatisue liceret, imo quanta propemodum necessitas!

§. XIX.

Signatimur ortum FIDEICOMMISSORVM in pietatis caritatisque exemplis, ad legum feueritatem, pro amicorum propinquorumque necessitatibus, in quodam modo emolliendam. Tantum uero abest, ut sola pietas atque iustitia legislatorem AVGVSTVM tantopere con-

cilia

ciliauerit instituto, ut auctoritatem suam interponeret, ut potius pro insigni habuerit ueteres leges euertendi opportunitate. Quamquam id enim concedamus TRIBONIANO, uideri uoluisse sapientissimum principem eximiam personis gratiam habere, atque id sectari potissimum, quod mite quodque iustum & popolare esset §. 2. *I. de fideicommiss. heredit.* non tamen hanc ueram aut solam consilii rationem fuisse certissimum est. Quanta cum prudentia atque circumspectione libertatem reipublicae ad dominationem Imperatoris paullatim deduxerit, quantaque moderatione uicerit impedimenta noui principatus & quam sapienter molem imperii humeris suis imposuerit, remque Romanam unus administrauerit, ab aliis prolixè commemoratum traditumque fuit. Neque dissimili conatu ad commutandam totam rationem publici priuatique iuris animo, ope, consilio, accessit, cum pleraque usu libertatis introducta, nouum imperium sua natura pati non posse uideretur. Quid enim singularia illa ciuium ROMAE, dominae olim orbis & prouinciarum omnium, prae hominibus ceteris, qui Romanarum ditionum finibus continebantur, quique deinceps adiciendi erant imperio, in illa parendi seruiendique aequalitate, qua nouo principi subiecti atque obnoxii erant uniuersi? Sane cum ipsa extincta libertate, praecipua illa QVIRITVM, penes quos libertatis imperium fuerat, euilescere simul atque tolli oportuit, cum illa aduersus prouinciales, peregrinos, externos, aduenas, hostes, aeterna auctoritas, in rebus etiam priuatis quibuscunque, nihil aliud esset, quam uictoria in toga ac pace de gentibus ceteris, quibus nemo olim potior ac dominus, nisi QVIRITES, atque ille tot seculorum notus memoris atque uictoris populus Romanus. Hinc

perpetua priuatorum publicorumque negotiorum firmenitas ac quasi religio, cum omnia totius populi continerentur regerenturque uoluntate, iussu, auctoritate singula possiderentur a singulis quasi beneficio omnium dicereturque rebus quibuscunque lex a QVIRITIBVS sibi suisque iura constituentibus solis, tam pro salute reipublicae, quam pro domesticarum etiam rerum necessitate. Inde rituum nexus & adstrictae leges negotiorum, uti perpetuo incontaminata a peregrinorum aliorumue accessione atque consortio maneret ROMA, si laque orbis imperio potiretur.

§. XX.

Talis fuerat conditio reipublicae quamdiu in manibus erat ciuium populiue Romani. Quae simulac degenerauit a sua temperatione, inciditque in potestatem REGIS CTORIS unius, qui praeesset aequali imperio ditioribus uniuersis, alia certe lege regi debuit, alioque paulatim iure uti coepit, uiciniori magisque proprio Monarchiae. Sed fuit id ingenio AVGVSTI, deinceps etiam tribuendum temporibus, quod iura ueteris reipublicae de creuerint magis, ac tacite labefactari coeperint, quam exstirpata funditus, deletaque & protinus abolita fuerint.

§. XXI.

Nobiliorem QVIRITIVM iuris partem constituisse connubiorum commerciorum atque testamentorum iura supra me scripsisse memini, licet ius omne, quod ciuile dicebatur, proprium erat ciuium Romanorum, quare CICERO *in Topic. ad Trebat. Ius, inquit, ciuile est aequitas constituta his, qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas.* Effulgabat tamen potissimum splendor Iuris Quiritium in iis quae tanquam potiora connumerari, ex quibus solus ius TESTAMENTORVM maxime ad scopum huius scripti

scriptionis pertinet. Vere sane, diffusae uir eruditionis, IAC. GOTHOFREDVS ad L. 5. Cod. Theodos. de Apostatis pag. 204. *Ius Romanum seu ius ciuium Romanorum in testamenti iure potissimum consistit*, quod illustrat quodammodo SIGONIVS de antiquo iure ciuium Romanorum c. 12. Quum itaque huius identidem argumenti impatiens esset imperii mutatio, lubens arripuit D. Augustus occasionem firmandorum fideicommissorum: plaussit LENTVLI codicillis: restituit legata suae fidei commissa: ad exemplum addidit iurisdictionem perpetuam: Consules ius nouum exequi iussit, omniaque fecit, quae testamentorum ius in discrimen adducere, ac sensim euertere, possent. Cuius rei ratio ut in fideicommissis eluceat manifestius, spectemus parumper mancipationum, rogationum, aliorumque iuris testamentarii singularium naturam conditionemque apud Quirites, quorum omnium aeternum in fideicommissis codicillisque exilium.

§. XXII.

Quod uero, uti supra scripsi, in illis Romanorum rituum difficilibus molestiis, non umbra inanis, non inutiles ambages, non portenta, somnia atque simulachra recondita fuerint, sed haec omnia solis Quiritibus gloriosa exstiterint, id est fere, de quo dubitant nonnulli, sed non minori, ut ego arbitror, Romanorum iniuria, quam ignoratione reconditarum rationum reipublicae Romanae. Equidem attigi passim rationes adstrictioris commercii Quiritium, repertas ad depellenda aliorum hominum peregrinorumque consortia, perpetuoque usu reipublicae commendatas seruatasque. Eiusdem curae consiliique specimen est MANCIPATIO, rerumque abalienatio sollemnis, quae nexu fieri dicebatur, uti sollicitate caueretur, ne maioris momenti pretiue res ad alium quem-

quempiam, quam ad ciuem Romanum, peruenire. Expertes igitur omnium solemnium erant peregrini, quae Quiritibus propria essent, ea solenniter ageretur, solique patresfamilias in certam & Quiritium iuramentum iuramentum possessionem eas res acciperent, quae mancipatione solemnique modo acquiri solebant. Testis mancipationi non fidei magis ac testimonii, quam solemnium & auctoritatis causa aderant quinque ciues Romani, cum libripende & antestato, cuius instituti rationes, solum ad populi auctoritatem, tanquam certissimam normam, exigendae sunt.

§. XXIII.

Mancipationis ritum decemuiralibus tabulis et uetustiore, uel ex illis antiquorum uerborum reliquiis. QVI. NEXVM. FACIET. MANCIPIVMQVE. VTI. LINGVA. NVNCVPASSIT. ITA. IVR. ESTO. obseruarunt harum litterarum periti. SCHULTINGIUS *ad CAII Instit. lib. I. tit. 6. §. 3.* Quum eiusmodi uerborum solennis abalienatio uenditionem imitaretur, adhibita aeneas atque libra, quod uetustiori aeuo, ante reperimentum monetae usum, ponderibus rudis aeris uenditiones fieri solerent. Sigillatim uero in mancipatione, quae rerum erat mancipi, simulato pretio *rudusculi* siue particulae rudis aeris, quam adponderabat libripens, mancipando uendebantur res, non sine uerborum solennitate, quam exprimit quodammodo *ULPIANVS apud BOETIUM lib. 3. comment. in Topic. CICERONIS*. Pro aere deinceps numus adhiberi coepit, posteaquam signati argenti inualuit usus, sicque pro aere dictus *HS. numus unus*, *ad L. un. Cod. de donat.* adnotarunt uiri docti. De uerbis in mancipatione dictis solemniter, constare demum coepit omnibus ex solo *BOETHII*, quem indicaui, loco: is enim

EX CAIO, quem nos quidem ab ANIANO deformatum, ipse integriorem sine dubio habuit, ritum mancipationis describit, ipsiusque CAII uerba recitat: *Est autem mancipatio imaginaria quaedam uenditio, quod ipsum ius proprium Romanorum est ciuium, eaque res ita agitur, adhibitis non minus quam quinque testibus, Romanis ciuibus, puberibus, & praeterea alio eiusdem conditionis, qui libram aeream teneat, qui appellatur libripens. Is qui mancipio accipit, aes tenens ita dicit: HVNC. EGO. HOMINEM. EX. IVRE. QUIRITIVM. MEVM. ESSE. AIO. ISQVE. MIHI. EMTVS. EST. HOC. AERE. AENEAQVE. LIBRA.* Deinde aere percutit libram, indeque aes dat ei, a quo mancipio accipit, quasi pretii loco. Sed certum omnino est, non omnia uerba solenniaque hic a BOETIO relata esse, quamuis contextus uerborum CAII prae se ferre uideatur perfectissimam mancipationis descriptionem. Saltem omissa antestatio & libripendis socius, antestatus, qui consensu omnium in mancipationibus adhibitus est, cuiusque mentio fit in lapide, quem descripsit GRUTERVS p. MLXXXI. ubi mancipatio facta dicitur, LIBRIPENDE. CLAVDIO. DATIVO. ANTESTATO. CORNELIO. VICTORE. Arguit ceteroquin hoc saxum errorem GUTHERII lib. 2. de iure Pontific. cap. 6. qui antestatum cum libripende incaute commiscet, cui etiam, non sine ANT. AVGVSTINI, TVRNEBI, BRISSONII, MARCILII censura, a quibus ipse antestatus habitus pro teste, satisfacit V. C. FRID. BRVMMERVS ad L. Cinciam §. 13.

§. XXIV.

Venio nunc ad TESTES, qui mancipationibus adhibendi erant, Romanos ciues, quorum neque numerum, neque praesentiam, soli testimonio adscribere auisim. Si enim fides solum negotio facienda fuisset (licet

& eo nomine adhibiti fuerint quodammodo) cur non suffecerint pauciores, cum tamen CAIVS *l. c. non minus* quam quinque testes adhibendos esse commemoret? Cur etiam ad testimonium non admissi fuerint prouinciales atque peregrini, spectatae fidei probatique homines cardoris? quanquam ipsius testimonii ferendi ratio quam maxime ad causam ciuium pertinere uideretur. Sed ob iicis, ad omnia ea, quae solenniter agenda erant, peregrinos eiusue sortis alios admissos nequicquam. Verum propterea colebantur solemnia ne admitterentur, & inanis per se erat in rebus Quiritium peregrini auctoritas. Fuit itaque praecipue personarum habenda ratio, nequicquam ulla res sine ciuibus mancipari, modoque solemniter transferri, poterat. Conspirat numeri ratio, atque, si quis conuincere iuuat, nihil etiam in mancipationibus aliud designat, quam populi compendium deputatosque classis um P. R. in qua re consentientes habeo subtilissimos superioris aevi ICTOS GIPHANIVM atque BACHOVIVM. Mancipationes autem primis etiam temporibus a populo auctoritatem sumsisse, eamque solemnibus dedisse occasionem adductum regum imperium (§. 3.) & permagna patribus populoque a regibus concessa potestas, omnino pati uideatur. Quo aeuo condita etiam testamenta esse in comitiis, rogato populo, notum est. Quid deinceps simulati imago pretii rem alienandam certo transferre iure potuisset, cum simularetur utrimque & pretium & uenditioni nisi auctoritas Quiritium demum accessisset alienationi quae legem quasi nouam possessionis dicebat, sicque re non uendi amplius, sed mancipari & Quiritium iure possideri, dicebantur. Per mancipationem autem plenissimum uerumque robur accedebat alienationi, unde in adoptionibus, liberorum emancipationibus, matrimo-

niis per coëntionem, testamentis per aes & libram, aliisque rebus maioribus acquirendis, continuo adhibita fuit. V. ANT. AVGVSTINVS *ad cap. XXVII. legis decemviralis*. Adderem quoque uniuersę mancipationi rogationem testium, ciuium Romanorum, nisi liberior fortasse cuiquam & audacior ea suspicio uideatur. Deprecor itaque hac uice *οβελόν*, cum neque ARISTARCHVSTAM seuerę soleat decernere in moderatam *σκεψιν*.

§. XXV.

Ceterum pertinent huc, quae dixi supra §. 19. sub fin. de formula reipublicae Romanae & de insigni ciuium foris domique auctoritate. Sane quidem, cum testamenta e comitiis transferrentur in aedes priuatorum, ad comitiorum repraesentanda solemnia, rationem mancipationis & quinque testes adiunxerunt testamentis, populi Romani non minus in ultimis uoluntatibus, quam in mancipationibus, interpretes. Dignae enim uisae per se mancupiorum solennitates, quae in comitiorum locum ac symbolum succederent. Cognatam idcirco mancipationis ipsius cum comitiis rationem esse oportet, uti facile ad coniiciendum. Ex prudentum uero inuentis natum hoc genus testamentorum, qui omni modo, honori Romani nominis consulebant, ac solliciti Quiritarii iuris erant antistites, tralatitium est, nec quisquam adsentitur BALDVINO, quaerenti eius originem in ipsis XII. Tabb.

§. XXVI.

Mancipatio ceterum fuit rerum momenti maioris, quas ad peregrinum aut aduenam peruenire nefas erat. Solos enim patresfamilias Romanos Quirinalis agri possessores esse oportuit, iique soli diuitiis, fundis, familia, pecorum gregibus, abundabant, quae res mirifice auxit illorum potentiam, quandoquidem pro ea conditio-

ne principibus interdum, quam priuatis, similiores erant. Haec ratio erat regni illius domestici & acquisitionis rerum omnium, per seruorum, (*) liberorum, familiae uniuersae operas, de qua re ubertim nos instruit TRONIANVS in *Instit. libris*. Hi erant uero, qui non modum maximas res possessionesque soli occupare poterant, sed etiam auctoritatem interponebant ab alienandis rebus generis eiusdem, transferendisque in ciuem, sicut declarauimus haecenus. Verum praeterea testes fuerunt etiam ad permanere eas in commercio Quiritium, cuius rei curam quam maximam fuisse Romanis, monui subinde. Huc spectant uerba solennia ab antestato sine dubio adiecta: MEMENTO. QVOD. IN. ILLA. CAUSA. TESTIS. ERIS. quae uerba enunciare id erat antestari, sicut ex ritu in ius uocationis, ubi: *licet antestari?* quae uerba rebat actor, abunde patet, indeque appellabatur ANTESTATUS. Abfuisse tamen antestatus a familiae mancipatione & testamentis, eiusque uices ipse testator sustinuisse uideatur. Memorat certe τῶν ὄτων ἐπιψεύσεις, *aurium attractiones* in testamentis factas CLEM. ALEXANDRINVS *Strat. lib. V. p. 574.*

§. XXVI

(*) Praeter alias diuitias, quibus augeri ac locupletari poterant res familiaris ciuium Romanorum, per seruorum operas, quos immenso quandoque multitudine aiebant, apparet quoque, quam opportunam haec fuerit occasio cogendae litterariae suppellectilis, amplissimarumque bibliothecarum, siquidem tot seruorum manibus praeclara quaeuis uolumina describi facile potuerunt. Erant enim inter alia mancipiorum genera, serui etiam librarii, scribae, bibliopolae &c. de quibus erudite LAVR. PIGNORIVS in *comment. de seruis & eorum apud ueteres ministeriis*, cuius libri cum rarior esset copia, quaedam ex eadem attexuit *collectioni suae de bibliothecis* IOACH. IO. MADERVS.

§. XXVII.

Peculiari libello *de rebus Mancipi & nec Mancipi* commentatus est, magnus in his litteris uir, CORN. VAN BYNKERSHOEK, multumque ad id institutum ingenii ac lectionis contulit. Quemadmodum uero ab eo erudite prolata hic rescribere nolo, ita ad eius commentarium remitto eos, apud quos sunt aliquid mores institutaque Quiritium. Idque eo magis, cum sit ex illis BYNKERSHOEKIVS, quorum scripta non delibare tantum aut euoluere, sed exhaurire penitus, & crebro lectitare, & familiari manu uersare, decet. Res Mancipi quidem fuisse eas, quae pretii maioris, nec Mancipi, quae minoris uisae sunt Romanis, praecipue obseruandum est. Connumerabant itaque inter res Mancipi praedia fundosque Italiae, qui iuris Quiritarii erant, deinceps aedes domusque, quas praedia urbana dicimus, tum seruos, denique quadrupedes maiores, quae collo dorsoue domantur, quae singula recenset VLPIANVS *in fragm. tit. 19*. Sane haec omnia, si rem ipsam spectes, maxima pars erant diuitiarum, ac nobilis portio patrimonii, eaque non impune communicari peregrinis aliisque, cum maxime intererat Quiritium. V. IAC. CUIACIVS *in paratitl. ad Tit. Cod. de usucap. transform.* Praedia rustica, non magis quam eorum seruitutes, in numero rerum Mancipi esse, fatentur omnes, praesertim quod mentio earum in recensione VLPIANI. De praediorum uero urbanorum iuribus, uel negant prorsus, uel dubitant adfirmare, cum nihil de his ICtus. Quemadmodum tamen de silentio VLPIANI fallax admodum argumentum est, cum ille res Mancipi omnes complexus sit nequicquam, quin liberos omiserit, ob patriae uinculum potestatis Mancipiis exaequandos, praecipue quod illorum acquisitio in adoptionibus Mancupio fieret idem-

tidem, ne de hereditatibus aliisque rebus dicam: ita cur urbanorum quoque praediorum servitutes in censum rerum mancipi referri non possint per Icti auctoritatem, plane non adsequor. Ipse Illustris a BYNKERSHOEK, & cum eo alii in diuersam eunt sententiam. Ille quidem *cap. laudati libelli*, aedes Quiritium & urbanorum operum moles, per se quidem & sua natura res fuisse dicit nec mancipi, cum ex materia huius generis, ligno, lapidibus, ferro, aliisque munimentis coierint, atque aedificatae fuerint, ius uero mancipii accessorium esse, propagatum iure soli. Notissimam iuris regulam esse, cedere solum quicquid inaedificatum. Reticuisse ideo Ictum servitutes aedium, quod nulla sit accessionis accessio. Ego uero non satis mirari queo, cur deserere maluerit V. C. normam illam, quam admisit ipse in definiendis rebus mancipi, uidelicet uoluisse Romanos eas res teneri mancipio, quae maximi sint pretii potioemque efficiant patrimonii partem. Maior ex hac ratione cura magnorum operum, aedificiorum, domuumque, & rerum immobilium, uti cum solennitate fieret eorum abalienatio, a eorumque usu & possessione exteri perpetuo arcerentur. Nullam igitur difficultatem iniicit accessionis fingenda accessio, cum ipsae servitutes iure accessionis censeantur, siquidem suo iure aedificia, non soli ac fundamenti, rebus mancipi ad sociare liceat. Quum praeterea ea nolim ex munimentorum natura, omnisque sigillatim materiae, aedium naturam aestimari. Quod haec singula quidem sint nec mancipi, coniuncta uero, & ubi per artificum compositiones operasque architectorum aliam formam ac naturam adsumserunt, cum non ut singula deinceps, sed tanquam uniuersa spectentur, omnino aliam eorum sit ratio. De cetero, quamuis iure soli censeantur praed.

praedia urbana, eorumque seruitutes habeas interim pro rebus nec mancipi, ipsam tamen earundem proprietatem a Quiritibus non remouebis, cum a peregrino acquiri ne ea quidem ratione potuerint. Sicuti enim absque seruiente aut dominante praedio nulla seruitus, nullumque eius exercitium est, ita siue mancipio complectaris siue excludas seruitutes urbanas, fugiebant tamen dominia peregrinorum, ad quos domus urbis agrique Romani peruenire nunquam potuerunt.

§. XXIIIX.

Accensebantur quoque rebus mancipi *quadrupedes*, quae collo dorsoue domantur, sed iuris potius, quam naturae, adpellatione. Erant enim duntaxat huius generis, *equi, boues, muli, asini*. Diuersae a quadrupedibus *pecudes*, quo sensu *oues & caprae* dicebantur, deinceps *bestiae* seu fera atque ferocia animantia. BYNKERSHOEK *cap. 6. de rebus mancipi*. Veruntamen dici uix potest, quanta hic adpellationum confusio, & quam multiplex acceptio. Pecudes pro quibusuis animantibus usurpauit PLAVTVS, dixitque pisces *Neptuni pecudes*. Quadrupedes de omnibus huius generis brutis dixit TRIBONIANVS §. 13. *I. de L. Aquilia: siue eam quadrupedem, quae pecudum numero non est, ueluti canem aut feram bestiam*, ubi bestias, canes, oues & gregaria animantia, maioresue quadrupedes iugo domandas, quadrupedum adpellatione omnes complectitur. Neque CAIVM, neque VLPIANVM sibi satis constare fatetur ipse BYNKERSHOEK. Pecudes nunc de solis ouium & caprarum gregibus, nunc de iis quadrupedibus, quae *gregatim* aguntur plerumque, sicque etiam de mulis, bouibus, equis, accipi uidemus. Argumento sane ea res esse potest, quanti operis sit interdum, conciliare ueteres, inter se dissidentes passim & adpellationum fines exacte

acte regere, quibus tamen, ut meum in praesenti non e-
 mederi difficultatibus, ita mihi dictum putabo illud N
 OPTOLEMI: *Paucis philosophandum.* Illud duntaxat adiciam
 quod in CHARONDA, scholiaste VLPiani, notavit eruditiss
 MUS BELGA, quod nimirum ad tit. XIX. §. 1. praeter re-
 res mancipi dixerit eas esse, *quae in communi nostro usu ue-
 santur, & quae manu quodammodo capimus & tractamus,* cu-
 res quoque nec mancipi in usu & manibus esse soleant.
 Ego si de obscuritate queritur uir doctissimus, adici-
 calculum: si mentem in eufandam putat ICTi, non omni-
 no adsentior. Respexit enim procul dubio CHARONDA
 ad usum solis communem ciuibus, qui est rerum manco-
 pi, sicque dixit esse res mancipi, quae in nostro, (*) i-
 est, ciuium Romanorum communi & quasi proprio usu
 uersantur. Quod addit uero: *quae manibus quodam-
 modo capimus & tractamus,* id de ipsa per mancipium ac-
 quisitione intelligi uoluit, cum notum sit, res mobile
 & per quarum naturam fieri poterat, manu capi tangiquam
 consueuisse, unde ipsa defluxit mancipii adpellatio, cet-
 ras uero res per symbola captas acqulitasque fuisse, sic
 ti in lite uindictiarum simile quid commemorat GELLIVS
 quodad mancipationem quoque referre non poenitet. Sc
 haec ἐν παρόδῳ.

§. XXIX.

Harum rerum omnium, quae in potioribus habeban-
 tur, proprietates duntaxat Quiritium erat, unde & acquiri-
 & h

(*) Non inusitata ICTis haec loquendi ratio. Ipse TRIBONI-
 NVS cum aliis in locis, tum tit. I. de patria potestate pr. & §. 2.
*potestate nostra sunt liberi &c. Ius potestatis, quod in liberos habemus
 proprium est ciuium Romanorum, nulli enim alii sunt homines, qui talia
 in liberos habeant potestatem qualem nos habemus.*

& haberi mancipio solebant, omnisque mancipatio actus erat solemnus atque legitimus *L. 77. n. de regg. Iuris*. Quemadmodum uero populi Romani antiqua sedes erat Roma, & Quirinales colles, solumque Italicum: ita ab illius finibus maxime remouebantur alii, neque confidere (*) in urbe agroque Romano, nisi singulari beneficio in ciuitatem & consortium ciuium adsciti essent, ullo modo iis permillum fuit. Prouinciales sua sibi habebant praedia, habebant possessiones, sed naturali potius, & quod in prouinciis colebatur, quam sublimiori ciuium iure, iis fruebantur, licet deinceps sigillatim iure Latii quaedam in prouinciis donarentur coloniae, de quibus IAC. CUIACIUS *lib. X. obs. 35*. Fuerunt itaque possessiones prouincialium res nec mancipi, praediaque extra Latium atque Italiam sita, cum absque mancipio uenirent, & *bonitarium* eorum esset, non *Quiritarium*, dominium. Verum & hanc distinctionem, tanquam specimen libertatis omnino demum sustulit publica lege IVSTINIANVS *L. un. Cod. de nudo iure Quiritium tollendo*. Ceterae enim res, quae sine nexu mancipioque abalienari solebant, tradebantur solum in possessionem, qui naturalis est modus mutandi dominium, omnibusque gentibus communis. De iis singulari industria commentatus identidem est uir illustris a BYNKERSHOECK *cit. 11*. neque eas persequi huius loci est.

§. XXX.

Mancipatio uero, ueluti praesidium aliquod iuris Quiritium, utrimque & mancipantem & accipientem haud
 F patie-

(*) Habitarunt quidem in urbe peregrini, sed precario duntaxat, neque propterea Romae consedisse dicendi sunt, quod hodie dicimus mit immobilibus angesessen seyn. Sunt tamen uariis legibus urbe interdum pulsi, uti lege M. IVNII PENNI. Trib. pl. c. PAPII CELSI & C. CICERO *de officiis lib. III. c. 11*. DIO CASSIUS *lib. XXXIIX. p. 37*.

patiebatur nisi ciuem Romanum. VARRO *lib. II. de re rustica cap. 10. si, ut debuit, mancipio ab eo accepit, a quo iure ciuili potuit.* Quantumuis enim errore implicaretur, detecto uitio, nihil actum uidebatur, idque uel inde apparet, quocumque is, ad quem per mancipium errore res peruenerat, non usucapione quidem anni uel biennii dominium firmare posset, sed longi demum temporis praescriptione certum ius atque efficax adeptus fuerit. De ea re intelligenda explicandaque leges satis alioquin obscurae, & reconditi sensus *L. 3. §. 9. π. de diuers. temp. praescript.* ACOSTA *ad pr. §. 7. I. de usucap.* Mulieribus res mancipi sine curatoris auctoritate abalienare non licuit, uti docet *ULPIANVS fragm. tit. IX. §. 2.* Mancipatione autem deinceps res etiam nec mancipi, mancipi uicissim res sola traditione fuisse acquisite, ex peruerse declaratis locis *ULPIANI Tit. I. regul. §. in bonis* & *PAULI lib. I. sentent. tit. 13.* male coniecit ACOSTA *ad §. 40. I. de R. D.* quem praecclare refutauit laudatissimus SENATOR. Quum tamen nec id diffitendum sit, prolatis imperii limitibus mancipationem concessam fuisse etiam *LATINIS COLONIARIIS & IVNIANIS*, iisque quibus commercii ius datum sigillatim, *ULPIANVS regul. Tit. XIX. §. 6.* Videmus quanta apud *Quirites* alienandarum possessionum religio, quanta cura, fuerit, quandoquidem, uti ostensum haecenus, ex honore auctoritateque Romani nominis, sicut aliorum fere solemnum, ita mancipiorum quoque, unice aestimanda natura est.

§. XXXI.

Inter res mancipi locum cum maxime obtinet *HEREDITAS*, cuius causa ea omnia, quae dixi, fere allata sunt. Reticuit illam *CAIVS*, fortasse quod rerum quasi uniuersitatem singulis rebus ad sociare inopportunum uideretur.

deretur. Vt cunque sit, certum manifestumque est, fuisse hereditates Romanas non nisi mancupio acquirendas, quod non immerito in defunctorum etiam successionebus, sicut in rebus excellentioribus maioribusque aliis, ius ciuile sanciuit. Non ferebat enim honor Quiritium, ut uacantia bona inuaderentur atque occuparentur a peregrino possessore, cui sola obsequii gloria, nulla spes societatis atque consortii, relicta erat. A principio rei Romanae testamenta condita fuisse in comitiis, populo auctore, omnibus notissimum est. Erat enim ea ciuium Romanorum cum in publicis, tum in domesticis etiam, negotiis auctoritas, ut iubentibus uolentibusque iis praecipua peragenda essent, sicque & successiones, & liberorum adrogationes, aliaque, quae pro priuatis habentur apud alias gentes, apud Romanos uocabantur ad publica comitia, ubi non magis cura reipublicae, quam familiarum necessitas, leges effecit, cum Romana res communi populi auctoritate contineretur. Adhibitae ideo rogationum formulae, quibus rogabantur Quirites in illa actuum solemnitate de dicenda lege, iussu, uoluntate, per solenne illud **VELITIS. IVBEATIS. ITA. ROGO.** ceterisque uerbis, quibus Quiritium comitia olim personuerunt. Quem itaque testator sibi uoluisset heredem, illum cum eligere ipse, tum omnis populus constituere & cum auctoritate confirmare, uidebatur. Non inficianda sane **B. THOMASH** coniectura est *in diss. de primis initiis success. testam. §. 12.* nouam ita pro instituendo herede ab uniuerso populo legem conditam fuisse, quandoquidem scripto heredem migrauerit testator legem successionis, quam dicimus, ab intestato, qua proximis agnatisue consulitur de propinquorum hereditatibus. Pendebat itaque potissimum a populo testamentum Romanum, sine

quo nullum stabile ac firmum ius ad testamentarios scriptosque heredes peruenire potuit.

§. XXXII.

Deinceps cum leges decemuirales quandam iuris uicissitudinem inducerent, fieri quidem coeperunt testamenta in aedibus priuatorum, sed non minori aut dissimili, ut ego arbitror, solennitate. Accessit praeterea mancipatio & cum testamentorum solemnibus quodam quasi uinculo coniuncta est (*) Auctores eius rei fuerunt quos supra nominavi, prudentes, illi tam solliciti Romanae sanctitatis custodes atque arbitri, quique formulam reipublicae religiose conseruarunt, legesque peregrinas ei accommodarunt, ne ullo modo uetus forma atque effigies e negotiorum ritibus effugeret. Sicuti igitur illis testamenta per aes & libram accepta ferimus, quibus ob mancipationis adnexum ea haesit adpellatio: ita eo magis in testamentariorum numero testium agnoscerimus imaginem classium populi, symbolumque comitiorum, e quibus priuata testandi ratio propagata deinceps cum in mancipationibus quoque aliarum rerum, illud caeremoniarum compendium, simile aliquid portenderi nobis uisum fuerit. §. 24. Nihil igitur re ipsa interera inter priuatam hanc & comitialem testamenti factionem cum paruus quasi populus esset is, coram quo lex successione priuatim etiam tolleretur, accedente praetere mancupio, & ualidissima inter uiuos abalienatione. (**)

Quan

(*) Qua ratione in hoc genere testamentorum coniunxerint Romani populi consensum & alienationem inter uiuos scite docet B. THOMASIVS in *diss. de sensu legis decemuiralis testam.* §. 2.

(**) Quanquam enim V. C. SCHULTINGIVS, ad *VLPIANI fragm. tit. 20.* §. 2. per mancupationem nullum ius in familiae emptorem, qui

Quaquam enim extra populi, ciuiumque, testium, auctoritatem nihil plane actus is subsidii desideraret: non indignum tamen uisum est honore Quiritium cumulare solemnia, quo maior constaret religio ultimis uoluntatibus, magisque excluderentur peregrini, tum mancipiorum incapaces, tum comitiorum.

§. XXXIII.

Omnes, qui intererant testamenti factioni, & testes, & libripens, & familiae emtor, qui heredis sustinebat imaginem, ciues esse debebant Romani, in eoque sensu dicitur esse testamenti factio cum solis ciuibus. Omnino autem spectari oportere personarum dignitatem ex iure comitiorum, ut qui illorum fuerant participes, ii etiam testamento praesentes esse deberent, ab aliis pasim obseruatum est, & nostrae quidem sententiae haud exiguum robur addit, quandoquidem priuatam testationem referre diximus omnimodam comitiorum similitudinem. In testamenti quoque iure ciuitatis ius effulgere potissimum ex uariis auctorum testimoniis patefacere liceret, nisi id superuacaneum esset, & unus sufficeret CICERO, qui ARCHIAM ciuem esse probaturus: *Et testamentum, inquit, saepe fecit nostris legibus, & adit hereditatem ciuium, cap. 5. orat. pro Archia & de se ipso in orat. pro domo: Quis meorum amicorum testamentum discessu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod & si adessem.* Quid uero de uerborum solennitate dicendum? Equidem commemorata apud alios adferre facile supersedeo: sed propius abesse a uero arbitror,

pe heredem imaginarium, transferri potuisse putat: cum tamen familiae emtor personam heredis sustineret, uidemus quid actum uoluerint cum ipso herede, praesertim cum omnia in hoc solenni actu ex quadam rituum imagine spectanda sint.

bitror, seruatam in priuatis etiam testamentis adlocutionem Quiritium in comitiis usitatam: VELITIS. IVBEATIS. QVIRITES. eamque demum uenditionis formulam secutam fuisse. Coniicio solum, sed ita, ut opinor coniicio, uti res ipsa, & actus comitialis effigies per se postulare uideatur.

§. XXXIV.

Etenim iis adsentiri non possum, qui *rogandos rogatosque* (*) testes in condendis testamentis accipiunt de personis uocatis solum aut arcessitis ad ultimas perficiendas uoluntates: rogare enim frustra & contra sententiam ueterum sollicitat puto ad solam testium designandam conuocationem. Magna sane hos, qui ita sentiunt, cepisse oportet ueterum uerborum obliuio, siquidem norint alias, quid fuerit in comitiis rogatio, quid leges rogatione ferre ad populum, quid rogare Quirites de emancipandis liberis, & quae sunt alia generis eiusdem. Nolim sane rogare illud de cogendis uocandisque hominibus, cum longe solemnior apud Romanos fuerit huius uerbi usus. Qui autem de alia quacunque rogatione quam de comitali rogationis formula, liceat interpretari illam consensu omnium in priuatis etiam testamentis testium factam rogationem? Rogabantur enim pro totius populi classibus quinque illi Romani ciues, uti sua auctoritate

(*) Non quidem me fugit, plane contra sensum aevi purioris τὸ rogari dici quandoque a sequioribus ICtis pro euocari aut cogi sic ut apud VLPIANVM L. 21. §. 2. π. qui testam. fac. poss. alterius rei causa forte rogatos ad testandum non esse idoneos placet, quod sic accipiendum est, ut licet ad aliam rem sint rogati vel collecti, cetera. quod ipsum tamen corruptae & inquinatae illorum temporum & ICtorum Latinitati ignoscendum, cum integrior sermo detrimentum inde apud intelligentiores pati debeat nequicquam: Rectius sane IULIUS PAULLVS sentent. recept. lib. 3. tit. 4. §. 4. dicit accire.

auctoritate, uelut noua lege, firmarent scripti heredis suc-
 cessionem. Scite sane eleganterque PAPINIANVS *lib. 14. quæst. in L. 3. π. de his qui testam. fac. poss.* illo aeuo, quo diu in usu fuerat priuata testatio: *Testamenti factio, inquit non priuati sed publici iuris est.* (*) Publicum enim saepenu-
 mero adpellamus id, quod populi est, & ubi frequens esse solet populus, id publicum aut in publico fieri dicimus. Sic in inscriptione ueteri ap. GRVTERVM pag. MLXXXI. de ce-
 notaphio ad publicum iter posito. TANGIT. POPV-
 LVM. id est, uiam publicam, qua ire solet populus. Egregie pro sui ratione instituti hoc saxum illustrauit V. C. FRID. BRVMMERVS *ad L. Cinciam cap. 14.* Verum, ut ad priora reuertar, testamentum Romanum a populo ita auctori-
 tatem etiam sumpsit extra comitia & incorrupta haec, us-
 que ad inclinationem reipublicae, perdurauit consuetudo. Ceterum habitum id pro solenni atque ciuili officio, te-
 stem adesse condendis Quiritium testamentis, a quo foe-
 minae aeternum exclusae, quod expertes illae essent se-
 cundum Romanorum mores munerum omnium publico-
 rum atque ciuilium *L. 2. π. de R. I.* quare postulationibus & candidatorum in Senatu commendationibus illud exae-
 quat SENECA *epist. VIII. si hoc mecum, si hoc cum posteris loquor, non uideor tibi plus prodesse, quam ut ad uadimonium aduocatus descen-
 derem, aut tabulis testamenti annulum imprimerem, aut in Se-
 natu candidato uocem & manum commodarem.* Deinceps mi-
 nor

(*) Absit ut uulgarem PAPINIANO sensum obtrudamus, quasi publicum dixerit pro eo, quod est uniuersorum ex populo. Sic enim patria potestas, quae propria est ciuium Romanorum, iuris publici esset dicenda, aliaque, quae tam ampla adpellatione nusquam censentur. Respexit ille ad testamentorum singularia, eandemque, quam signauimus, eorum naturam.

ror scientissimi VINNI censuram in diligenti *comment. ad L. §. 2. de testam. ordinand. p. 276. edit. Amstelod.* quam incurrun GIPHANIUS atque BACHOVIVS, propterea quod rationem testium in mancipationibus atque testamentis exquisiuerint diligentius, eamque ad populi Romani similitudinem retulerint. Sane, quae adfert, non sunt talia, ut praeclaram coniecturam remouere protinus atque auferre queant. Nimiae rem esse dicit curiositatis, quam incusari VINNIUM plane insolitum est, cum ipse quandoque subtilitate nimium capiatur, quanquam id ipsum ceteras eius laudes obscurare minime possit. Add. HUBERVM *lib. IV digress. cap. 32.*

§. XXXV.

Sed difficile uidetur tueri nostram sententiam in testamentis a Praetore inuentis, usitatisque pasim ipsa adhuc durante reipublicae libertate. Vti sic uideatur iam ante exortum imperium exilium aliquod fuisse solennium. Fiebant enim praetoria testamenta sine rogatione, sine mancupio, faciliori atque simpliciiori iuris obseruatione. Ita commemorat originem huius generis ultimarum uoluntatum, princeps eius mutationis testis, TRIBONIANVS *§. 2. l. de testam. ordinand. Iure honorario nulla emancipatio desiderabatur, sed septem testium signa sufficiebant, cum iure ciuili signa testium non erant necessaria.* Videmus itaque testationem praetoriam uacuum fuisse iis caeremoniis, quae obseruabantur in ciuili testamento, sed primum notandum est noluisse Praetorem proscribere e reipublica testationem solemnioem, symbolum illud comitorum, ad quam rem nec animi satis, nec iurisei potestatisque fuit, (*) quandoquid-

(*) Iuri enim derogare non posse dicitur Praetor *L. 1. §. 1. de feriis.*

doquidem ea perpetuo usu seruata etiam deinceps, teste iterum TRIBONIANO §. 1. *sub fin. l. c.* deinde per faciliorem inuentam commendatamque testationem nequicquam eum soluisse Quirites ciuilibus institutis, sed seruasse illum honorem ciuibus, ut hi auctoritatem adderent testamento, neque detraxisse aliquid rationi solemnum, numerumque personarum imminuisse, sed quinque admisisse ciues, & duo deinceps, sine libripendis tamen & antestati effigie, ut ita tollere solum mancipationem a prudentibus additam, & uerborum enunciationem haud adeo requirere uisus sit, ipsas tamen ciuilis instituti rationes seruauerit, sicque parum re ipsa mutauerit. (*) Adscribere lubet uerba, quae plane e nostro sensu protulit praeclarum Belgii ornamentum, illustris uir, CORN. uan BYNKERSHOEK *in obseru. Iuris Romani lib. II. c. 2.* Deinde in locum *populi & mancipationis, usu sic exigente successerunt septem testes, imago populi Romani, neque alia, opinor, ratione, quam ut pro agnatis & gentilibus legitime facta lex tolleretur quoque legitime.* Scilicet eam uim potestatemque tribuit praetoriis quoque testibus, qua tolli potuerit ista lex, quae necessariis necessariorum adsignat hereditates, non secus quam in comitiis id factum esse primis temporibus coniecit THOMASIVS.

§. XXXVI.

Liceat hic superaddere eiusdem THOMASII. V. C. coniecturam *diss. de sensu legis decemuir. testam. §. 53. seqq. de signaculis testium, iis etiam, quae per aes & libram fiebant,*

G

testa-

(*) Optime sane ULPIANVS *lib. L. ad edictum L. 2. pr. π. testamenta quemadmodum aperiantur &c.* de testamento praetorio: *tabularum testamenti instrumentum non unius hominis, sed publicum potius instrumentum esse, id est publica quasi auctoritate factum, sicut testamenti factio publici iuris esse dicitur PAPINIANO.*

testamentis, uti ei uidetur, impressis. Haud uero in manes tanti litterarum principis peccare mihi uideo si ab eius sententia quodammodo recedam, quae alioquin magnis quibusdam uiris non omnino displicere coepit. Primum quidem haec ipsa opinio non modo testem desiderat, quin potius manifestum de ea re testimonium conuellere conatur, ex quibus licet prius coniecturae concesseris, posterius tamen eius naturae non aequè conuincere uidetur. Quanquam enim pariat coniecturam ipsa testium penuria, neque id ei officiat, siquidem maximè interim ueritatis specie se commendet: ad labefactandam tamen auctoritates, omni uitio atque suspicione uacua sufficere potest nequicquam. Nescio equidem quid desiderari queat in testimonio TRIBONIANI §. 2. & 3. *l. de testament. ordin.* qui signaculorum in testamentis originem caute scienterque refert ad Praetorem. Alterum locum de di §. superiori: alterum huic adscribo: *Constitutum est, ex edicto Praetoris signacula testamentis imponerentur, & in fine: signacula autem & testium numerus ex edicto Praetoris.* Sed ne solum adpellem TRIBONIANVM, cuius fidem sollicitè re uidetur uir illustris, adiungo maioris monumenti antiquitatis, fragmentum codicis Hermogeniani Tit. X. apud SCHVLTINGIUM in *Jurispr. Ante Iustin.* p. 716. ubi rescriptum ab Imp. DIOCLET. & MAXIM. *Si secundum edicti formam testamentum signatum exstiterit, bona, quae, cum moreretur auctor tuus, eius fuerunt, solemniter petis, & reliqua.* Ne inepte igitur CHARONDAS haec VLPiani Tit. XXIII. §. 6. *septem signis testium signatum sit testamentum,* explicat eum in modum: *si iuris praetorii solennia obseruata sint,* ut ad CUIACIOS, HOTOMANNOS, ALEANDROS, HUBEROS, VERNOS, SCHVLTINGIOS aliosque sequi in hoc argumento haec poeniteat. Quae autem a V. C. adferri uideo, haec sunt

fere: Ex formula edicti ap. CICERONEM *act. II. in Verrem: si de hereditate ambigetur, & tabulae testamenti obsignatae non minus multis signis, quam e lege oporteat, ad me proferentur, secundum tabulas testamenti potissimum hereditatem dabo, (*)* uideri praetorem nihil de signis numeroque-testium stauisse sigillatim, sed promississe saltem bonorum possessionem, si testamenta hunc in modum signata ei offerrentur. Non igitur id praetoris edicto, sed legi, acceptum ferendum esse. In qua re mentioni *legis* apud CICERONEM nimium tribuere uidetur. Sed caute scriptum esse puto in formula praetoria: *non minus multis signis, quam e lege oporteat*, ut ita ratio numeri haud inconcinne ad legem referri queat, non signacula, cum alias scribendum fuisset: *tabulae testamenti obsignatae, uti e lege oportet*. Sed ipse deinceps §. 35. ita CICERONEM declarauit: *si tot signa tabulis impressa essent, quae e lege oportebat, hoc est tot personarum quot lex decemuiralis praeter testatorem requireret*, licet antea §. 33. numerum septem testium ex hac formula non edicto, sed legi, adseruisset. Deinde quod origo praetorii testamenti ignoretur, neque aliud fere eius uestigium supersit, quam hoc de b. p. secundum tabulas, quo argumento utitur §. *ead.* id uero non impedit, quominus signacula praetori uindicemus. Quis enim nescit edictum perpetuum, sub Hadriano Caesare laudabili opera collectum, ingenti elegantioris Iurisprudentiae damno, omnino intercidisse, quisque ob id, quod origo rei incerta sit, rem ipsam negare audeat? Neque ita ex sententia uiri illustris, signacula tribui poterunt legi,

G 2

cum

(*) Hunc locum ita explicat V. C. SCHVLTINGIUS: *Praetor in hac re, quae iuris est praetorii, id praecipue spectat, quid ex suo edicto ad testamenta requiratur, ad VLP. Tit. XXII. §. 6.*

cum quae illa lex sit, aut cuius aevi, pariter ignoretur. Denique testamentum CYRI apud CICERONEM & HORAT apud SVETONIVM, in quibus adhibita obfignatio, per aera & libram facta fuisse dicit, sed parum idonea auctoritate, quod coniecturae est tribuere nimium. Legem uero CELSI, ICTI, τὸ testem esse ultimae uoluntati, & τὸ signare tabulas, conuersim censere, seu, ut loquuntur in scholis, συννόμως usurpare, id cum de praetorio testamento intelligendum omnino sit, parum eius sententiae praesidii, nobis uero nihil impedimenti parere potest. Certum enim est, utrumque genus testationis, ciuile & praetorium, simul in usu fuisse deinceps, ut qui plena solennium obseruatione testari uoluerit, id sane laudabiliter fecerit more maiorum, qui solutiori & faciliori uia, forte quod eam occasio, ualetudo, necessitas, imo & imperitia exposceret, non inutiliter id faceret, cum certe tamen testaretur. Nulla igitur, ut signacula in CYRI, HORATHI, & a CELSO memoratis testamentis ciuilibus institutis adnumeremus, cogit necessitas, cum eodem tempore fuerit etiam aliqua praetorii iuris (*) obseruatio. Cetera quae placuerunt maximo uiro, ex iis, quae haecenus disserui, temperari facile possunt, sed reuertor in uiam.

§. XXXVI

(*) Eadem sine dubio ratione intelligendi ICTI de signaculis loquentes VLPIANVS L. 22. §. 4. π. qui testam. fac. possunt PAVLLVS L. 30. π. cod. alique. Diu enim postea utrumque genus distinctum mansit, sicut meminit PAPIANVS *respons. Tit. XLIV.* quod uero in digestis & codice illud non aequae pateat, id compilatoribus tribuendum. Temporibus THEODOSII demum aliqua mutatio facta, de qua re L. 1. Cod. Theodos. de testam. & codicill. & ad eam doctissime, uti solet, IAC. GOTHOFREDVS.

§. XXXVII.

De ritu & solemnibus mancipationis hereditatum nihil addere iuuat, tum quoda mancipatione ipsa parum discrepat, tum quod ab aliis ea exposita sunt iam pridem. De mancipatione uniuerse docte commentati sunt praeter illustrem a BYNKERSHOEK, ALEANDER, OISELIUS, EVIACIUS, SCHVLTINGIUS & alii ad ueterum Ictorum fragmenta, RAEVARDVS *ad L. XII. Tab. c. 16.* SALMASIUS *de usuris c. 8. & de modo usurarum c. 19. & in diatriba de mutuo p. 93.* GVIL. BVDAEVS *ad L. 2. §. 24. π. de O. I.* MERILLIUS *obs. VIII. 37.* ac denique eruditissimus FR. BRVMMERVS in docto *comment. ad L. Cinciam c. 13.* Quibus addi potest sigillatim de hereditatis mancipatione, praeter THEOPHILVM in *paraphrasi Instit. ad §. 1. de T. O.* FR. CONNANVS in *comment. iuris ciuilibus lib. IX. c. 1. n. 3. seqq.* & B. THOMASIVS §. 3. *seqq. cit. diff.*

§. XXXIIX.

Satis arbitror esse dictum, pro mei instituti ratione, de solennitate ultimarum uoluntatum, omnisque abalienandae possessionis apud Romanos, cuius eas indicaui causas, quae conueniunt maxime naturae illius populi eiusque reipublicae, cuius imaginem formamque, antequam de ipsis solennibus differerem, solcite quodammodo descripsi, & de iisdem differens continenter in memoriam reuocaui, quod ex iis pleraque Quiritium iura deriuanda unice atque illustranda fuerint. Dixi proinde de mancipatione, testamentorum deinceps accessione, & Quiritario per eam comparato dominio, quod aeternam aduersus peregrinos omnesque populos auctoritatem tribuit aeternae urbi eiusque ciuibus, quibus tum omnes gentes nationesque uel ut reapse imperio subiectae, uel adhuc subiiciendae, spectabantur. Attigi Ro-

manum testamentum hereditatesque Quiritium, auctoritate atque consensu totius populi per illa supremarum uoluntatum solennia deferendas, cuius rei, cum publico status libertate quam maxime coniuncta ratio est. Sa haec omnia uel ideo commemorare necesse fuit, quod nihil dici possit manifestius, ad illustrandam fideicommissorum & codicillorum originem, quae contigit iis inclinante demum & mutata Quiritium republica.

§. XXXIX.

Recte quidem Ill. THOMASIVS *in cit. diff. §. 36.* cum ipse libertatis in Monarchiam conuersione solennia dicit uisum scire per se, quod maior eorum plerumque esse soleat in libertate obseruatio, maiorque cura atque religio quam rerum summa delata ad principem Caesaremque unum. Sed mores & consuetudinem a pristina uita dignitatis generis populi superauit principum cura, quibus inuisa ueteris reliquiae libertatis, nouis deinceps iuribus nunc comprobandis, nunc ferendis tacite, nunc aperte constitutendis, delendae atque euertendae, prout temporum ferebat necessitas oportunitasque. Quid itaque opportunius inuenire potuit D. AVGVSTVS, quidque facere sapientius, quam ueterem illam testandi sollicitudinem quam inuitis extorquere Quiritibus in principio noui imperii inuidiosum erat, auferre clam & fideicommissorum simplicitate temperare? Quo minus uero officere antiquo iuri uideretur, & quo securior tutiorque esset nouo iuri in republica locus, TREBATIVM consuluit, aliosque ICTIVM uoluntatem principis, qui id praesertim hominum generi sibi obnoxium deditumque effecerat, longe anteferebat ueterum legum sacramento. §. 13. supra. Neque igitur mouere debent, quae de hac re ad speciem magis, quam ueritatem, cautus consiliorum AVGVSTI interpretis, TR

BONIANVS *pr. I. de codicill.* minus uero quae in contrarium adferunt commentatores, ex quibus iterum instar omnium nomino VINNIUM, qui ad hunc locum ex uerbis magis, quam sensu & rerum argumentis, haustam opinionem, eum in modum explicat: AVGVSTVS *ut erat princeps prudentissimus non temere aut inconsulto irrepentem in rempublicam codicillorum usum confirmandum sibi putauit, sed prius explorare uoluit iudicium & sententiam uirorum sapientum, censerentne illi, posse hunc usum recipi salua ratione iuris constitutum an in eotam euidentis & iusta ciuium utilitas uersaretur, ut auctores sibi essent, eius moris comprobandi p. 495. edit. Belg.* Nae tanti fuit profecto ueteris iuris ratio & utilitas Quiritium, ut per eam coërceri quodammodo potuerit legislatoria Romani Caesaris potestas.

§. XL.

Magnum interim & prudentiae & moderationis exemplum ostendit D. AVGVSTVS, quae res effecit, ut diuturna ac stabili potestate praeesset, & feliciter exorsus sit imperium, quod alia ratione omnino retineri non potuit. Inde aestimanda cum fideicommissorum origo, tum omnia, quae suscepit, belli pacisque consilia, & continentia regnandi, quam supra §. 12. a me laudatam memini. Tantum abest igitur, ut mihi obiicias testimonium TRANQVILLI *in eius uita cap. XL.* atque praeclari Romanarum rerum scriptoris, DIONIS CASSII (*) auctoritatem lib. LVI. p. 541. ut potius haec omnia, quae dixi, magis

(*) Quo praeclarior DIO Romanarum rerum testis atque auctor est, tanto praeclarior opera est, quam ei illustrando exornandoque iam ab aliquo tempore insumsit uir πολυμαθέστατος, & per eruditum orbem celeberrimus, D. IO. ALB. FABRICIVS, meus olim praceptor

magis confirmare uideantur. Ille quidem: *magni*, inquit *praeterea existimans sincerum, atque ab omni colluione peregrini ac seruilis sanguinis incorruptum, seruare populum, ciuitatem Romanam parcissime dedit, & manumittendi modum terminauit.* Ciuitatem itaque parcissime dedit? sed deo tamen. Incorruptum ciuitatis honorem illibatumque seruare studuit? id uero fecit ad placandos animos, captandam auram popularem. Sed fecit profecto specie atque simulatione, siquidem alias impune libenterque migravit ueteres leges, sed ubi inuidia, odia, simulet, aliaque nascentis mala principatus minus extirpanda essent. Vinctos tortosque & uilissima mancipia ciuitate nusquam honestauit, teste eodem *cap. cit.* Atque iustitiae fuit, ne facinorosis maior peccandi facilisque grassandi copia, cum ipsa libertate ciuitateque, daretur. Sed quid de DIONE? Sane is commemorat AVGVSTVM cum successorem TIBERIVM, tum Senatum, hortatum fuisse, ne uulgarent ius ciuitatis multisque concederent, quo minus ius inter ipsos & populum discrimen esset ac duraret idem. Verum erit & hoc ad simulationem sapientissimae principis & fauoris aucupationem magis referendum quam impensiori tribuendum Quiritium amoris, licet cum inceptis TIBERIVS ius ciuitatis dispensare liberaliter, neque abhorrere ab imperii rationibus, neque sibi illicitum, putauerit. Sed nec ipse, ut dixi, AVGVSTVS, semper periculi sibi duxit, quidquam audere aduersus eius, quam potestatem acceperat, iura reipublicae. Circa ipsum iudicandae uel adimendae ciuitatis, non semper eundem

ges.

ptor aestumatisissimus, cuius doctissimis curis expolitus ut breui incem ueniat, pro communilitterariae rei commodo, magnopere operamus.

gessit. Quum enim libera adhuc republica nemini posset inuito adimi ciuitas, licet hosti & aduersus patriam arma ferenti, is tamen & ANTONII & SVLLAE exemplo ciuitatem ademit plurimis, teste eodem DIONE *lib. LIV. p. 358.* Deinde aliis ciuitatem dedit, non quidem hominibus solum, sed integris etiam oppidis in Hispania & Gallia, cum ipso TRANQVILLO *cap. 47.* tum etiam memorante illustr. SPANHEMIO *in orbe Romano exerc. I. cap. 16.* quod e numis & marmoribus probarunt uiri antiquariae suppellectilis curiosi, GRVTERVS, VAILLANTIVS ipseque SPANHEMIVS. Quin maius & grandius aliquid cogitatum fuisse iam tum in Quirites & iura ciuitatis, deliberatumque in consilio AVGVSTI sanctiori, refert DIO *lib. LI. p. 370.* qui MAECENATEM, purpuratum, auctorem ei fuisse commemorat, uti Romanam ciuitatem communicaret omnibus, qui imperio eius subiecti essent. Quod sicuti magnae molis esse, multaeque rem inuidiae, suspicabatur prudens ille temporum aestimator, ita sequi noluit consilium, quinimo satius duxit tutiusque, id adsequitacite, quod aperte non licebat, a quo conatu eum cum propriam abduxisse animi mansuetudinem, bonitatemque naturae, tum patris IVLII (*) exemplum casumque deterruisse, puto.

§. XLI.

Sicuti uero sub Imperatoribus inclinare primum, deinceps quasi subsidere, tandem ruere coeperunt iura popularia, ita ius quoque ciuitatis sensim extendi longius, deinceps omnibus in orbe Romano ingenuis communi-

H

cari

(*) Prodigus in primis ciuitatis donator fuit, ita ut SPANHEMIVS *l. c. exerc. l. c. 15.* non ab re dixerit, eum ius illud, quod quondam ne Senatus quidem citra populi consensum tribuere cuiquam solitus fuerit, pro suo arbitrio, & quidem ut uenale beneficium, quibuscunque indulgisse.

cari coepit sub ANTONINO Caesare, quare VLPPIANVS *ad edictum lib. XIII. In orbe Romano qui sunt, ex constitutione Imperatoris Antonini ciues Romani effecti sunt*, quae ipsa ueteris Icti lacinia occasionem praebuit Spanhemianis commentariis, insigni doctrinae copia refertis. Imo quis miretur admodum, ex imminutis Quiritium iuribus aucta iura peregrinorum, a quibus tam abhorruerant Romani, cum ipsi quandoque a peregrinis regerentur Imperatoribus NERVA, TRAIANO, AELIO HADRIANO aliisque, quos aduenas & externos AVRELIVS VICTOR adpellauit. Iisdem uicissitudinibus itum est fere in argumentis ultimarum uoluntatum, cuius rei initium per fideicommissa fecit D. AVGVSTVS, quodque consilium ampliori ac fidentiori conatu exsecuti sunt ceteri Imperatores, adeo ut THEODOSIVS Iunior *in constit. quadam Cod. Theodos.* testamenti factionem dicat ius commune, siue proprium omnibus Romani orbis incolis, quod olim sola sibi uindicauerat Roma. Dixit autem, cum Eunomianis ademtam redderet testamenta faciendi potestatem: *uiuunt iure communi, scribant pariter ac scribantur heredes*. Solis enim haereticis testamenti ius ademtum iis temporibus, uti ex uariis Codicis Theodosiani locis patet: scilicet habebantur ii, qui extra coetum fidelium essent, pro peregrinis, eodemque iure censebantur.

§. XLII.

Quam felix autem initium attulerint fideicommissa euertendarum legum, quae in populari potissimum libertate exortae fuerunt, is cognoscat manifeste, qui descripta a me testationum solemnia, rogationumque sanctitatem & sollicitudinem mancipationum, quae omnia coniuncta fuerunt in ciuili testamento, cum hac fidei committendi simplicitate comparauerit. Eam enim ob
causam

illa a me disputata fuerunt latius, quod nihil in praesenti argumento maioris momenti ponderisue commemorari aut adferri possit. Ne uero in ipsis solennium caeremoniis haeream quodammodo, quae dignitatem negotiis adiiciunt per se, & quorum perpetuum in fideicommissariis hereditatibus exilium est, quaero primum, quaenam maior testamentarii iuris concipi aut cogitari mutatio queat, quam ea, qua ultimis uoluntatibus adempta testium auctoritas atque rogatio, sine qua de hereditatibus disponere olim non modo irreligiosum, uerum etiam reipublicae Quiritium penitus aduersum erat? Quid enim de testamentariis rogationibus, ad publicum magis quam uulgarem aliquem sensum, existimandum sit, dixi superius. Illa uero decemuirali lege: PATER. FAMILIAS. UTI LEGASSIT. SVPER. PECVNIAE. TVTELAEVE SVAE. REL. ITA. IVS. ESTO. a testamentis seiungitur penitus populi auctoritatem, uix adduci possum ut credam. Ea enim pertinet ad liberam heredes instituendam legandique, quibus uoluerit testator, potestatem, adeo uelut si liberis quidem exheredatione fieri iniuria uideretur. Quae res ex patria potestate domesticoque principatu solum repetenda est, quae omnia ab ipso ROMVLO Quiritibus concessa sigillatim. Neque uero illa testandi libertas excludit per se auctoritatem populi, cum eadem ciuibus concessa fuerit ante Decemuirorum aeuum, quibus testamenta condita in comitiis. Nam tum identidem quem uoluerat testator sibi heredem fieri, is erat patrii monii successor, licet rogato demum & legem dicente populo, qui ut a testatorum uoluntate nusquam solebat recedere, ita adferebat interim testationibus auctoritatem uotum, solemnia. Quod nec mutatum deinceps, cum testamenta conderentur intra priuatos parietes, rogatio

pro uniuerso populo patribusfamilias quinque, quae imago comitorum. Accedit, quod multitudo aucti indies populi, & faciendarum in comitiis deliberationum, tantum deinceps excreuisse uidetur, ut ultimae uoluntate necessitate quadam condi coeperint in aedibus priuato- rum, non tamen nisi praesentibus comitorum delegatis cum publici esset iuris testamenti factio *L. 3. π. de his qui testam. facere poss.* Ut eadem ratio remanserit utrimque uti supra ostensum est. Viderunt itaque primum Quiritis factionem testamenti per fideicommissa factam esse priuatam, quod ab his primum abesse coepit rogationum testiumque adnexus, qui publicum efficiebat Romani te- stamenti argumentum. Scribebantur enim non maiore cura, quam quae ad familiares dabantur epistolae, unde ipsa codicilli defluxit appellatio. Quid autem in episto- lis amplius quam manus animusque scribentis requiritur. Non itaque ora uultusque testium, non testatoris prae- cepta, non formularum solemnitas, non rogationum ambages, deinceps efficaciam dabant successionibus, cum ad communiorem reduci coepissent simplicitatem, Quiritium singularibus, quae ex iis omnibus proficisce- bantur, quam longissime remotam. Illa enim, cum conuersione imperii quam maxime abhorrent, tolli de- buerunt omnino, quod omnis legum uis ac potestas, pu- blicumque ac priuatum ius ad principem delatum esse- neque per naturam imperii penes populum remanere posset. (*)

§. XLII

(*) Cum septem testium numerus ex ratione solennium apud Ro- manos unice spectandus sit, patet etiam precario seruatum fuisse eun- dem cum a IUSTINIANO, tum hodieque usu nostro, qui ex iure Ro-

§. XLIII.

Quanta porro apud Quirites fuerit cura mancipationum, tam pro firmando rerum dominio, quam pro arcendis peregrinis, & iis, qui extra ciuitatem essent, a potioribus Italici soli bonis, hereditatibus, possessionibus, ex his, quae hanc in rem disserui, facile aestimari potest. Fuit illa quoque sollicitudo, illeque ueluti nexus commerciorum spectandus ex natura popularis imperii, & Quiritium aduersus omnes gentes auctoritate. Quae cum perdurare non posset deuicta libertate, & cum aequale terris atque prouinciis Romani orbis natum esset imperium, ita & in hac re detrimenti quidpiam attulit AVGVSTVS singularibus ciuium, quod ab hereditatibus se iungere coepit mancipationes, sine quibus iure ciuili atque populari deferri non poterant. Imo e temperato mancipationum usu minari uisus est aliquam domini temperationem, uti, quicquid olim Romani constituerent diuersitatis inter suam & aliorum hominum proprietatem, id negligi sensim & obscurari inciperet, cuius rei uestigium omne demum sustulit IVSTINIANVS supra commemorata *L. un. Cod. de nudo iure Quiritium tollendo*, quamuis iam ANTONINI temporibus uana propemodum uox mancipationum rerumque mancipi esse coeperit.

§. XLIV.

Non obscure ex his, ut opinor, intelliget unusquisque, quam inimica & quam aduersa iuribus Quiritariis,

H 3

ac

mano fere propagatus est. Quum nostra enim testamenta cum Romanis testamentis plane conferri nequeant, sed fideicommissorum potius imitentur simplicitatem, sicque testes solum testimonii perhibendi, non aequae solennitatis gratia, adhibendi sint, praestaret sane testium qualitatem & numerum ex natura testimonii atque idoneae probationis, quam ex Quiritium solemnibus, metiri.

ac sigillatim testamentorum, fuerint fideicommissa, quibus nihil praeter uoluntatem testatoris sanctum, a que extra eius rei, quae deferenda atque restituenda erat traditionem acceptionemque, ratum pensumque habebatur. Testari igitur per fideicommissa licebat iniuri populi, cuius per ereptam libertatem erat imminuta auctoritas. Abfuit hereditatum, quae per mancipiū fiebat, uenditio, quod absouum uideretur dominia citius um urbis unius anteferre dominio omnium hominum eaque maiori ac ualidiori iure communire. Vicit mole tabularum, publici illius instrumenti, facilius usus codicilli, haud infirmioris iam ultimatum uoluntatum interpretis, imo apertioris quodammodo, quod per hoc ueluti scribendi compendium de successione agi posset apertius, absque tempore certo, & loco, atque aliarum rerum conditione. Quae ut aliquantisper fiant clarioribus paucis adhuc exquiram, quae ueteris iuris singularia praeter ea, quae iam connumeravi, per fideicommissa & codicillos infirmata atque sublata fuerint.

§. XLV.

Primum uero nec id omittendum, quod Consulibus initio id datum fuerit negotii, ut extra ordinem fideicommissis cognoscerent, deinceps Praetor fideicommissarius factus sit sigillatim, qui, sine iudice, de illo genere ultimatum ius redderet, sicque hoc ius omnino exaequatum fuerit iis cognitionibus, quas *extraordinarias* adpellant Icti. De his notum est alias, quae absque sollicita formularum conceptione, ampliori potestate, susceptae fuerint a magistratibus, quoties in propria natura rei id efflagitaret. Neque id sane absque singulari consilio factum esse puto ab Imperatoribus, pro conuertendis eo facilius iis iuribus, quae potissimum abol

cupiebant, quod ipsi magistratus, qui illis obnoxii erant maxime, iam liberiori ausu aduersum ius conuellere possent, ac principi in omnibus morem gerere, praetor uero fideicommissarius is fuerit sine dubio, qui animo, studiis, obsequio, huic negotio, quod ad confirmandas principatus rationes cum maxime pertinebat, quam aptissimus haberetur. Orta itaque & haec inter utrumque genus, legatorum & fideicommissorum diuersitas, uti illa per formulam peti deberent, haec magistratum subessent officio, qui extra ordinem de iis decernere consueuerunt.

§. XLVI.

Erat olim instar prodigii, decedere testatum & intestatum, quod naturalis earum rerum inter se pugna esset *L. 7. π. de R. I. & §. 5. I. de hered. instit.* Proficiscebatur hoc *παράδοξον* ex illa, quae in testamentis fiebat, familiae mancipatione, per quam uenditione transiit uniuersa familia siue hereditas ad emptorem familiae siue heredem. Quomodo enim mancipata hereditate legitimis heredibus locus esse potuit, qui demum sine testamento poterant succedere, & intestatorum duntaxat hereditates consequi? Quamobrem illa interpretatio enata fuit, ut licet in tabulis ex semisse aut triente, aliisque demum partibus, heres fuisset scriptus, reliqua hereditatis pars, de qua naturali ratione haud fuerat testatus tabularum auctor, pro uacua haberetur nequicquam, neque ad legitimos heredes proximosque agnatos peruenire posset, sed ea constitueretur patrimonii diuisio, quam expressisset testator, quod uniuersa mancipata uideretur hereditas, & uacuum partem accrescere mallent heredi, familiae emptori, quam obuenire legitimis quibuscunque. Alia enim per se haud ferre uidebatur ratio civilis testamenti. Sed fuit haec molestia ueteris iuris subtilitas, quae proinde exulabat in testa-

testamenti militum, quibus purior atque simpli constabat iustitiae ratio. Idem obseruamus in fideicommissis. Sicuti enim in his naturae propior, quam conditioni Quiritium, obseruabatur forma successionis etiam nihil impedimento fuit, quominus simul testatus intestatus aliquis uideri posset, siquidem legitimorum redum fidei committeret partem hereditatis, restitutam uel statim, uel demum ex interuallo, hereditatis extraneo, quae omnia laxior solutiorque fideicommissorum natura minime adspernabatur.

§. XLVII.

Testamenti factionem inter actus legitimos conuenit merat ALEANDER *ad CAII instit. lib. II. tit. I. p. 85. ap. SCHULTINGIUS. in Iurispr. Ante Iust.* cum quo ipse consentire uidetur SCHULTINGIUS. Vt cunque sit, certissimum sane est, a legum legitimorum singularia quam maxime cadere in testamentum, ut haud absurde in hunc censum referat liceat ipsam, quam dixi, testamenti factionem. Quae admodum uero actus omnes legitimi, ex diei, temporis conditionis, adiectione omnino uitiantur *L. 77. π. de iura & ciuili testamento* hereditas ad diem uel euentum quem relinqui non poterat. Poterat tamen per fideicommissum pro arbitrio testatoris coërceri atque differri hereditatis possessio, uti modo post tempus aliquod, mortis eueniente casu, modo alia ex causa, illa possideretur, & uellet testator, a fiduciario herede redderetur. Imo, quae maxime aduersum uidetur ciuilibus institutis, poterat fieri reddi fideicommissum ad mortem heredis ipsius, in mortem quoque heredis fiduciarii transmitti per fideicommissum posset hereditas ad alium quemuis, sicut in formula ap. CAIUM *lib. II. instit. c. 7. declarat: ILLVM. RED*

RED

REDEM. INSTITVO. ET. VOLO. VT. CVM. MORTVVS. FVERIT. AD. ILLVM. MEA. HEREDITAS. PERTINEAT. Quod alia longe ratione in testamentis legatisque, quam in hoc genere fideicommissorum, quod efficaciam adsumsisse nouimus temporibus, quibus parua erat ueterum iuris regularum religio.

§. XLIIIX.

Propria haec erat legitimorum actuum natura, ut non nisi inter praesentes expediri possent. Quod pluribus illustant I Cti, BARN. BRISSONIVS *select. ex iure ciuili antiquit. III. 20. p. 76.* IAC. RAEVARDVS *de auctorit. prudent. II. p. 952.* alii. Testamenta uero Quiritium quis nescit facta identidem fuisse praesente in comitiis & testatore, & herede? Quidque aliud familiae emptor in priuatis testamentis, quam ipse testatori futurus successor, cui modo solenni mancipabatur hereditas? Quem, quod metu insidiarum, deinceps simulare maluerint heredis personam, id, cum necessitate factum sit, nihil tamen de negotii solemnibus detrahit. Sufficit enim, quod sine familiae emptore, cui inerat heredis effigies, uana fuerit testatio. Quid uero in fideicommissis? Potuit sane fieri per eorum naturam, ut absenti heredi, cui reapse destinata esset hereditas, ea deferretur, siue in tabulis fideicommissum esset, siue in solis codicillis, nullo condito testamento, ubi absens identidem fiduciarius heres. Legata autem, etsi fere absentibus relinquerentur, in testamento tamen scribi debebant, *L. 36. §. de legat. 2. L. 3. Cod. Hermog. de donationib.* cui propria constabat solennitatis ratio, sicque legabatur a praesente tamen herede, quod perinde immutauit codicillorum ius, siquidem per eos ab absente herede legari & fideicommitteri poterat, post diuturna
I etiam

etiam temporum interualla, sicut ex LENTVLI exemplo qui Africana uoluntate hominibus Romanis legauera manifestum est. Aduersa ea omnia ciuili testamenti solennibus, quod praeterea, propter actus excellentiam auctoritatemque, nihil diuersum alienumque patiebatur sed continuam sollicitudinem & contentionem animorum postulabat. Quod alia negotia aliasque deliberatione cum ipsius religio testamenti, quae sacramenti instar erant Quiritibus, tum uerborum rogationumque solennis enuntiatio, per se adspernaretur. Nollem itaque adeo custodiri solícite illud iuris nostri axioma, partum Quiritium reipublicae: actum testamenti esse debere continuum, aliudque negotium qualecunque, intercedens testamenti factioni, ipsum penitus uitiare testamentum. Quemadmodum enim eius rei ratio, omnino, ut diximus a ratione solennium testamenti Romani proficiscitur: innato simpliciore testamentorum genere ad ipsam gestae rei ueritatem atque naturam, quam illud solennium simulachrum, praestaret respicere. Suae uero simplicitati primum redditae fuerunt ultimae uoluntates per fideicommissa. Multa inde ueterum iuris regularum facta mutatio atque conuersio, quae cum ipsa temporum inclinatione maiori subinde premi obliuione coeperunt. Sane in constitutione quadam codicis Theodosiani commemorabili cautum ratione, uti idoneum sit, dummodo integro die perficiatur, testamentum.

§. XLIX.

Aberat quoque a fideicommissis testium necessitas. Dixi superius, esse duplex fideicommissorum genus, alterum eorum, quod scribi solebat in tabulis, alterum quod extra testamentum erat, relictum separatim in codicillis. Quanquam autem primum genus testes coniu-

Etos habuisse uidetur, ob conditum testamentum, cuius pars ipsum fideicommissum, non ipsi tamen fideicommisso hanc necessitatem mallem adiungi, cum ad institutionem potius heredis, a quo fideicommissum erat, firmandam pertinere uideatur. Vbi uero in codicillis fideicommissa hereditas parsue eius erat, duplex iterum se- iungenda est diuersitas. Scripsit uidelicet testator uel solos codicillos sine tabulis, uel condito testamento etiam codicillos reliquit. Si & codicillos & testamentum, scripserat codicillos uel ante tabulas, uel condito iam testamento. Codicilli ante tabulas facti, testamento confirmandi uidebantur olim, *L. 5. π. de codicill.* ne per solen- niorem uitiari possent uoluntatem: post tabulas scripti confirmatione non indigebant, sed uires sumere crede- bantur ex testamento, *L. 3. §. 2. π. eod.* Fuit tamen haec necessitas omnino remissa ab Imperatoribus SEVERO & ANTONINO, siquidem a priori uoluntate posterioribus consiliis non recessisse uideretur testator. *§. 1. I. de codicill.* Neque ideo in codicillis huiusmodi requirebantur testes, cum ex constitutionibus Imperatorum pro testamento- rum adnexu haberentur, neque id epistolae conuenire uideretur. Si absque condito testamento conditi essent codicilli, quos *ab intestato* adpellant DD. ualebant per se, neque desiderabant testes, diciturque in *L. 16. π. de iure codicill. quod tales codicilli nihil desiderent, sed uicem testamenti exhibeant*, id est auctoritatem testamenti nanciscantur. Ex quo uero natura codicillorum mutata penitus fuit, ut nuncupatiui etiam, contra rei naturam, admitterentur, testium quoque in iis esse coepit necessitas, sicuti a CON- STANTINO, THEODOSIO aliisque Imperatoribus constitu- tum. Praeclare hoc argumentum illustrauit insigne Fri- dericianae nostrae ornamentum, Illustr. BOEHMERVS in *diff.*

de codicillis absque testibus ualidis. Quanti autem fuerit testium in Romanorum testamentis atque solennibus accessio, quanta pars ultimarum uoluntatum, quanta auctoritas, ex iis, quae illustrando huic argumento differui haec tenus, cognosci potest. Non leuis igitur ex ea quoque parte antiquo iuri illata uis, per faciliorem illam testamentationem, fideicommissorum codicillorumque usu uulgatam commendatamque.

§. L.

Postulare uidebatur dignitas Quiritium, uti legum modo de rebus suis disponderent, praeciperentque solenniter patresfamilias, quid de re sua patrimonioque post mortem fieri uellent. Vnde heredis institutio directum fiebat uerbis, & legata imperatiue relinquebantur, sicque legare Graecis *νομοθετεῖν Nouell. XXII. 2. VLP. tit. XXIV §. 1.* Exulare uero coepit identidem per fideicommissa illorum uerborum sollicitudo, illaque legitima formularum conceptio, quandoquidem uerbis quibuscunque, ad nullam solennitatem & peculiarem formam conceptis, ea relinqui poterant, neque a rigore iuris ciuilibus, sed a uoluntate pendebant relinquentis, teste VLP. *instit. cap. XXI.* Aequitas enim, & naturalis ratio, & uoluntas hominum in illo testationis genere spectabatur unice, quod naturali duntaxat fidei regeretur, nihilque ciuile admistum haberet, unde, cum & id Romanum esset, testamentum scribi non debere nisi Latine & sermone Romano, fideicommissa relinqui poterant Graeca, Punica, imo alia quacunque lingua, prout quidem testatori uisum esset.

§. LI.

Erat legis instar, posse quidem legari ab herede, cui legatorum incumbere solutio, minime uero uicissim ab ipso legatario. Fuit id absolum a iuris ratione

ut homo is, cui donationis similitudine aliquid relictum esset, cogereur identidem donatam rem uel omnem, uel aliquam saltem eius partem, alteri restituere. Quem uero fugit, fideicommissi potuisse a legatario, ut de re legata uel tota, uel ex parte aliqua, restituenda adpelleretur more fideicommissario, & fuisse illum ad id faciendum quadam necessitate atque efficacia iuris obligatum? CAII *instit. lib. II. tit. 7. §. 13.* Deinceps legata quidem uim sumserunt a testamentis, fideicommissa uero subsistebant per se, legitimisque heredibus necessitatem imponebant praestandi ea, quae testator iis, quamuis intestatus, per fideicommissum iniunxisset. §. 10. *I. de fideicommiss. heredit.*

§. LII.

An eam uero exiguam putemus testamentarii iuris factam conuersionem, quod cum legata quondam sequerentur heredis institutionem, uti quid fieri uellet testator, quidue donari aliis, heredi non nisi iam scripto nominatoque, a quo ea omnia praestanda erant, iniungi posse uideretur, ac *testamenti potestas ab heredis institutione inciperet*, VLPIANVS *tit. XXIV. §. 15* idque ipse naturalis ordo exposceret, hoc tamen adeo neglectum sit in fideicommissis, ut & ante heredis institutionem fideicommissa ualere? Et quanquam inter medias institutiones legare liceret, sicque legata ab ea, quam sequebantur, institutione uim sumerent, PAVLYS *sentent. recept. lib. III. tit. 6. §. 2.* minime tamen ante omnes ualebant institutiones, quod demum coepit in fideicommissis. §. 34. *I. de legatis.* IVSTINIANVS uero huic uniuerso iuri lituram induxit deinceps, postquam fideicommissis legata omnino exaequauit, quod sequioris aevi est.

§. LIII.

Fuit haec propria testamenti ratio, ut sermo animusque dirigeretur ad heredem ipsum, eique omnis causa legatorum, & quicquid ceteroquin praeciperet testator committeretur. Sed ab hac quoque norma recessit natura fideicommissorum. Non solum enim ad heredes primos substitutosque dirigebantur codicilli, sed ad ipsos etiam fideicommissarios, quibus ex fideicommissio hereditariae res erant restituendae. Dabatur uidelicet id testatorum uoluntatibus, ut ex qualibet significatione uis adsequerentur, & ubicunque patefierent, incorruptae nihilominus seruariantur. Ita *L. 75. pr. π. de legatis 2.* miles in epistola ad sororem scripsisse commemoratur: *Scire uolo, donare me tibi aureos octingentos*, fuitque id a PAPINIANO habitum pro idoneo fideicommissio, non in militum duntaxat, sed in aliorum etiam, codicillis.

§. LIV.

Aperiebantur identidem testamenta, post mortem testatorum, non sine cura atque solennitate. Praetor quidem testamenta, cum septem testium firmarentur sigillis, erat id quoque praetoris, ut deinceps arcessitis testibus agnosci ab iis sigilla ac resignari tabulas iuberet. *L. 4. π. testam. quemadm. aperiantur &c.* Idem lege IULIA iusserat AVGVSTVS, ut breui post obitum testatorum, coram actis testibus, ruptoque lino & sigillis, tabulae aperirentur, obsignandae deinceps sigillo publico & reponendae in augustali tabulario, quod Archiuum dicimus. Factum autem illa tabularum inspectio fisci atque aerarii causa pro exigendo uectigali uicesimae, quod in decimam mutauit ANTONINVS. IULII PAULI *sentent. recept. lib. IV. tit. 1. §. 1.* eiusque interpretes. Quis uero non uidet haec quoque superuacua fuisse solennia in fideicommissis codicillorum

lorum, quorum uti nec sollicita obfignatio, nec custodia erat solennis, ita nec resignandi, defuncto demum testatore, necessitas esse poterat, quae testamentorum resignatio iuris publici esse dicitur.

§. LV.

Potuerunt quidem plura esse tabularum exempla, sed id singulare testamenti est, quod non patiatur aliud, quod argumenti alterius. Exemplorum enim aliqua potest esse uarietas, testamenti non potest. Sic rumpi dicitur tabulis posterioribus, propria *l*ctis adpellatione *L. 6. §. 2. π. de iure codicill.* Diuersa in eo quoque & peculiaris codicillorum ratio est. Quemadmodum enim ciuili iure singulorum hominum uoluntatem singulae duntaxat cerae capiunt, neque, donec eae saluae incorruptaeque fuerint, ullum extra se aliud instrumentum admittunt: ita codicilli possunt esse plures, diuersi a se inuicem, temporis alterius & aliarum rerum, neque uitii aliquid prioribus addunt posteriores, dummodo nihil aduersi in se contineant, sicque posterior uoluntas priora consilia tollere quodammodo uideatur. *L. 6. §. 1. π. eod. L. 3. C. eod.*

§. LVI.

Testibus tum demum opus fuisse in codicillis, ex quo nuncupatiui ab Imperatoribus fingi coeperunt, in laudata *diff.* egregie explanauit *Illustr. BOEHMERVS.* Quae cum ita sint, communis opinio est, in tanto solennium exilio, mulieres etiam ad testimonium perhibendum codicillis atque fideicommissis idoneas fuisse, quae perpetuo arcebantur a Romanorum testamentis, quod nullus illarum locus in comitiis, nullumque suffragium inter Quirites. Quod ingens inter utrumque genus ultimarum uoluntatum discrimen efficit. Est haec sententia glossatorum doctorumque *ad L. ult. §. ult. Cod. de codicill.* licet acutissimo

VINNIO *in comment. ad Instit. §. 3. de codicill.* minus se probe
 Manifestum esse potest ex iis, quae differui haectenu
 multas antiqui iuris regulas per fideicommissorum usum
 excludi coepisse, quod illae a conditione testamenti Ro
 mani, hoc vicissim ab auctoritate Quiritium, quae in l
 bertate maxima fuerat, unice proficisceretur. Cui r
 ipse finis reipublicae per se finem attulit, siquidem, in
 choato imperio, & eius ratio evanuit omnino, & ex e
 dem causa nulla deinceps efficacia fuit, cum uerior qua
 litas testamenti Quiritium exspiraret penitus in ipso o
 casu libertatis. Quae ipsa circumscriptio seiungendoru
 temporum ac vicissitudinum non solum IVSTINIANE
 operis optanda est, sed commendanda quoque nostrae Iu
 risprudentiae, quae omnem iustitiam sanctitatemqu
 a Romani iuris oraculis atque sacramentis passim sine di
 scrimine suspendit. Cum quaelibet dictamina ratione
 aestimare atque temperare nostrum sit. Sic multarum
 quoque rerum, receptarum olim, ratio redditur quidem
 sed non ea semper, quae optima, ceterisque anteferend
 esse uideatur. Filiumfamilias testamentum condere no
 potuisse, sciunt omnes. VLPIANVS *tit. XX. §. 10.* hanc adfe
 causam: *quoniam nihil suum habet, ut testari de ei possit.* Al
 quod alieno iuri subiectus communionem iuris civilis e
 parte caruerit. Nobis ea probatur ratio, quod adire co
 mitia filiofamilias concessum nequicquam, cum in iis de
 fierent quoque testamenta. Quod referendum idem
 dem ad testamenta priuata, facta deinceps per aes & l
 bram, quod eadem iis constaret comitialis ratio solenn
 tatis. Militibus uti id datum erat sigillatim, ut ab eoru
 testamentis omnis abesset solennitas, ita etiam de bono
 bello acquisitis filiisfamilias testari permissum. Quo
 temporibus AVGVSTI, NERVAE, TRAIANI, HADRIANI IM
 peratorum

peratorum, quibus per se exoleuerat uis atque efficacia solennis testamenti, ad ueteranos ac deinde etiam ad *quasi castrensia* bona extensum. *pr. I. quibus non est permiss. facere testam.* Inter legitimas exheredationis causas eam quoque connumerari legimus, *si patrem filius testari uetet.* Illud uero, nisi de solenni testamento, concipi aut cogitari non posse putamus. Facile enim peruicaciam filii fallere potuisse uidetur pater per simpliciores testationem, uacua caeremoniis atque molestiis, atque ope codicilli, cuius deinceps nata & sancita auctoritas. Grauius sane faciliusque peccare potuit olim in patrem filius, retinendo illum a comitiis, aut, quod idem est, a solenni testamento, quod coram delegatis comitorum factum est. Quod & propter publici rationem iuris, & actus auctoritatem, & patriae uindictam potestatis, grande nefas habitum. Ut alia, ab instituto meo remotiora, praeteream.

§. LVII.

Fideicommissa cui & a quo relinqui potuerint, & quantum in ea re a testamentorum iure abhorreant, paucis iam dispiciendum. Primum uero certum est, fideicommittere tantum potuisse eos, qui testamentum facere poterant, licet id ipsum, cum ceteris Quiritium singularibus, deinceps omnino sublatum fuerit. Sub initium tamen fideicommissariae iurisdictionis & deinde paullo id iuris fuisse testatur *VLPIANVS tit. XXV. §. 4. § L. 1. §. 2. π. de legatis 3.* quamuis tum etiam is, qui ob status uitium testari non potuit, si reliquisset fideicommissum, ualide disposuisse crederetur, siquidem eo tempore perseuerasset in eadem uoluntate, quo id potuerat relinquere. *L. 1. §. 1. π. eod.* Quibus uero per fideicommissum relinqui potuerint hereditates, grauior quaestio esse uidetur. Sane

ficum ipsa TRIBONIANI uerba §. 1. *I. de fideicommiss. hereditum* occasionem firmandorum fideicommissorum pleniori iuris auctoritate, animo atque cogitatione perpendumus, potest oriri aliqua dubitatio, licet sint quaedam ueterum Ictorum fragmenta legesque, quae eam, si non remoueant, saltem ferre nolunt. Quum enim mentionem fecisset TRIBONIANVS fideicommissorum relictorum iis qui ex testamento capere non potuerunt, addit simpliciter commemoratione: his iisdem fideicommissis, quae eum in modum & descripsit ipse, & uberius illustrauit paraphraestes eius THEOPHILVS, fuisse inditam ab AVGVSTO iurisdictionem, perpetuamque iurisdictionem ad id accessisse. Vnde HOTOMANNVS ad h. l. *Sequitur, inquit, tertio: fideicommissa eorum causa instituta sunt, qui capere ex testamento non poterant, ac peregrinis omnibus fideicommissa dari potuisse deinceps, suspicatur ALEANDER ad CAII instit. lib. I. tit. I. §. 4.* Sed diuersum patet ex uariis textibus *L. 10. pr. π. de his quibus ut indign. §. c. L. 3. §. 3. & 4. π. de iure fisci, L. 13. pr. eod. L. un. Cod. de his qui se deferunt, L. 1. Cod. de delatoribus* & tandem ex VLPIANO etiam *tit. XXV. §. 6. qui: Fideicommissa ait, dari possunt his, quibus legari potest: Add. OISELIUS ad CAII instit. pr. de fideicommiss.* Soli quidem excipiebantur Latini Iuniani, quibus ex testamento capere non licebat, attamen licebat ex fideicommissis, teste VLPIANO §. 7. *L. 1.* In lege uero ipsa Iulia Papia, lata sub AVGVSTO interdictum legimus heredibus, ne in fraudem aerarii ac fisci fidem accommodarent. Ut itaque lectio, margini editionis Vlpiani Parisiensis, anni clo M LXXXVI. adscripta teste SCHVLTINGIO ad h. l. ubi pro *legari potest* rescriptum *non potest*, pugnare uideatur cum legibus, quanquam iudicium uerum sit, accepisse nos Vlpianum haud sincerum atque integrum, sed uti de Caio identidem OISELIUS in *polegom*

in suo contextu mutatum, transfixum atque dispunctum, e manu ANIANI, hominis Gothi, ueraeque litterarum elegantiae expertis. Ipse quoque TILIVS, e cuius MSCto omnes Vlpiani editiones adornatae sunt, in *dedic. ad EM. RANCONETVM* illum codicem suum *deprauatissimum* adpellat. Vt itaque mutare aliquid in fragmentis iis haud sit piaculum, nisi aduersentur leges, quibus obsequium debemus.

§. LIIX.

Quemadmodum uero Quiritium iura Imperatorum temporibus magis magisque consenescebant ac paullatim exstinguebantur: ita uicissim fideicommissa laxiorem subinde solutioremque naturam consecuta sunt. Sic temporibus NERONIS adeo non religioni fuit publicis constitutionibus iura ueteribus regulis aduersa inducere, ut fideicommissarius heres ciuili heredi SCto exaequaretur, sicque omnes actiones, quae heredi & in heredem competunt iure ciuili, iam ei & in eum quoque competent, cui ex fideicommissio restituta esset hereditas. Quod antiquo iuri uarias ob causas inauditum imo prodigiosum existere debuit. §. 4. *I. de fideicommiss. heredit.* Vt ceteras iam huius iuris uicissitudines, distincte commemoratas ab HOTOMANNO, omittam. Id uero est, quod ostendimus haecenus, hanc ipsam testamentario iuri ruinam parari coepisse sub Monarchiae initia, auctore praesertim AVGVSTO, principe prudentissimo. Cuius deinceps uestigia secuti sunt reliqui Imperatores, ut omnimoda simplicitate sepultae tandem fuerint omnes Romani testamenti reliquiae, foetus libertatis, reipublicae potissimum debentes originem atque maturitatem. Factum itaque ut proscriberentur demum ambages omnes ex ultimis uoluntatibus, omnesque subtilitates, sic ut fideicommissi

maximam ualuisse simplicitatem uideamus in *L. 39. §. 1. de legat. tit. 3.* Quaelibet praeterea, etiam uitiosa ciuili iure dispositio, ualere coepit deinceps ex codicillaris clausulae adiectione, ut ita codicillos ius omne testamentorum inuasisse quodammodo non in scite dixeris. Quicquid quod tam benigna illorum fuit interpretatio, ut licet quis absque testamento codicillos reliquerit, in iisque extraneum aliquem simpliciter heredem scripserit: **TIT. VII. HEREDEM. MIHI. ESSE. VOLO.** etiam non adiecta codicilli mentione, tamen illa dispositio ualere optimo iure, nisi aliunde appareret, testatorem potius testamentum, quam codicillos, facere uoluisse, quo ex substitutionis legatorumque adnexu coniciendum est. *13. §. 1. π. de iure codicill.* Momentosam ceteroquin causam fideicommissorum esse hodieque in Germania, amantissima ma fideicommissorum, certissimum est. Multa ideo in Iuristarum uoluminibus de iis disputatio, uariaeque sententiae. Quas persequi sigillatim, mei non fuit institutum cum arenae sint alterius & copiose passim expositae fuerint ab aliis. Sicut immortale Fridericianae suae decus Illustris atque Excellentissimus Dn. a LVDEWIG qui, ut in singulis omnimoda abundat laude, doctissime exposuit aliquando illud etiam fideicommissarium argumentum *in fructuariis fideicommissis neque Trebellianicae neque legitimae detractionem iure fieri posse, sub titulo; Trebellianicae & legitima exules in fideicommissis fructuariis*, quae dissertatio existat in opusculis eius *miscellis Tom. 1. p. 1042. sequ.* praeclara eruditaque & sicut cetera magni huius uiri, lectu omnino dignissima.

§. LIX.

Illud uero ueteris Iurisprudentiae cum ipsis temporum uicissitudinibus commune fatum fuit, ut uis eius atque

atque potestas tandem euanuerit penitus, quod uti in aliis passim argumentis contigisse uidemus, ita in testamentorum iure, quod inter potiora erat Quiritium, ostensum a me est instituto conatuque singulari. Sunt enim sicut imperiorum, ita & legum iurisque conuersiones, & ex dominationis natura, illarum uis & uirtus & efficacia unice aestimanda est. Qui absque ea cogitatione in legum cognitione uersantur, hi sunt fere, quos legum scientia potius, quam peritia, abundare dicimus. Quae incommoda uitiaeque a studiis nostris facile abesse poterunt, praesertim in tanto subsidiorum apparatu, quae ueriori Iurisprudentiae non Italia solum, & Gallia, & Belgium, sed ipsius quoque Germaniae nostrae ingenia abunde suppeditarunt. Vincit enim in hoc etiam genere doctrinarum praesens aetas tantopere priores aetates, quantum in omnibus fere disciplinis maiorum aeuo antecellere uidetur. In qua re id nostrum est praecipue, ut ex traditis illorum subinde proficere, & si id per uires nostras licet, communes de erroribus atque barbarie triumphos agere, communesque uictorias reportare, studeamus.

F I N I S.



CANDIDATO DOCTO,

IOAN. PETR. DE LVDEWIG,

FRIDERICIANAE CANCELLARIVS

S. P. D.

R Equisiuisti me testem doctrinae ac litterarum tuarum. In neutro potui tibi deesse. Scis, quam faciam illos iurisprudentiae cultores, qui legunt non uerba & formulas blaterant; sed earundem sensus indagant, Latii litterarum & antiquitatis praesidi instructi. Hac enim uia qui decurrit iurisprudentiae campum: ille sibi constat ipse scitque causas & rationes Latii institutorum neque pendet ab opinionibus & fallaciis interpretum & forensium iudiciorum. Post enim quam Latii leges Germanica ciuitate donauimus, luminibus earundem coruscare tribunalia debent; non inanium specie systematum & thesicorum magistrorum. Sed ueteranos pudet, in senectute dediscere. Igitur ueritatem iustitiamque opprimere satagunt uerbulo nouitatis & formula; esse contra praxin. Quasi ab unius & alterius doctorum oscitantia penderet sacra nemesis & error faceretur. Differunt praeiudicia a rationibus & ueritatibus etiam in iuris arte. Seculi nostri est felicitas; quod in summis S. R. I. tribunalibus plures etiam sint: qui a maiorum ueterno purgant mentem & oculos liberant glaucomatibus & umbris atauitis. Facit hoc; quare tibi tuisque studiis me addictum habeas: cum re ipsa deprehenderim, te illud agere, quod in multis desidero ac doleo. Colis enim litteras & litteratos autores in Latii & Graeciae antiquitatibus. Illo armamentario scilicet; unde togati
heroe

heroes illi, humaniores iureconfulti; Galli & Belgae in-
primis, ignorantiae nubibus discussis, lumen legibus re-
stituerunt postliminio. In qua industria si perrexeris; ha-
bebis me strenuum tui adiutorem, ad quaeuis officio-
rum genera paratissimum. Scripsi HALAE SALICAE kal.
Martii CIO IOCCXXXI.

CLARISSIMO atque CONSVETISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

DE themate dissertationis, quod pro inaugurali
sisteres, quum mecum, ex quo musas nostras
iterum adiisti, communicares, & ego tum tem-
poris ordinis iuridici Decanus tibi post alia, ut praesens
de origine fideicommissorum, summaque Caesaris Au-
gusti Trebatiue in istis firmandis astutia eligeres, autor
essem, Tu sententiae meae prima fronte assentiri non
uidebaris, uix persuasus tam ingentem status Romani
antiqui immutationem, qua iura populi praecipua ac pro-
pria sensim euerfa, eo ipso subdole, aut, si mauis, scite sa-
tis, inductam fuisse. Praeuidit labem aeternae urbis
me quidem iudice *M. Porcius Cato* sesqui seculo ante Augu-
stum, unde Reipubl. peritus, & iurisconsultus & proba-
bilis orator autor fuit suaeforque, ne, quod contra publi-
cum ius testamentorum admissum, uitio quamuis subla-
to, tractu temporis conualesceret, neue unquam a pristi-
na

na

na iurisprudentiae forma, nisi ciuitate simul ualere iussu
uel latum unguem recederent Quirites. Sed postquam
mentem meam, & quae in *Praelectionibus meis ad Codicem* leuiter
illuminata, altius ponderare & curatius paulo ad examine
reuocare libuit, adeo plane ac plene a te excussum est
hoc argumentum, ut, quod adderem, non haberem. Rec
didi igitur dissertationem Tibi tuam absque ulla interp
latione. Miror praeterea, & tantum non exosculor, stil
quo usus es, ueneres purpurasque, in quo natiua quae
dam & incorrupta integritas cum summa uenustate ac co
pia certat. Miror, quae in Te sitae sunt ingenii dote
quas ut in illustri hac Fridericiana docendo exponere ue
lis, e re erit politioris iuuentutis & rei litterariae. Ad
cedit huic tuae doctrinae insignis modestiae laus, & quae
non semper in eruditis est, morum suauitas, qua ex
apud omnes bonos satis commendatus existis. Grat
lor itaque Tibi, *Candidate dignissime*, & has, quibus es prae
ditus, uirtutes, & hos, quos ambis, & quos dudum me
ritus es, honores: ita enim per legitima comprobas do
cumenta, Te non degenerem tantae urbis, quae tibi
natales dedit, ciuem esse. Deus Te seruet ac saluum esse
iubeat, felicitatemque tuam perennaturam. Daba
Halae ipsis calendis Martiis MDCCXXXI.

